SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

VII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

Ad USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

VII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA

1869.

S. AMBROSII,

S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI

ET

TERTULLIANI

OPUSCULA AD ECCLESIAE SACRAMENTA PERTINENTIA.

PRAECEDIT

S. AMBROSII VITA A PAULINO EJUS NOTARIO CONSCRIPTA.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS

O. F. M.

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel.

PROV. S. BARBARAE

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

Pag.

1. Vita s. Ambrosii mediolanensis episcopi a Paulino ejus notario ad b. Augustinum conscripta 1
2. S. Ambrosii de mysteriis liber unus . . 49
3. S. Cyrilli hierosolymitani catecheses mystagogicae V 95
4. Q. Sept. Flor. Tertulliani de baptismo liber unus 141

#962

VITA SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

A PAULINO EIUS NOTARIO

AD BEATUM AUGUSTINUM CONSCRIPTA [1].

CAPUT I.

Auctoris praefatio.

1. Hortaris, venerabilis pater Augustine, ut sicut beati viri Athanasius episcopus et

---

[1]) Paulinus hic confundi non debet cum Paulino episcopo nolano († 431). Eum fuisse mediolanensis ecclesiae clericum et s. Ambrosio a manu ex ipso hoc opusc. n. 42. colligimus, hinc ejus fidem in dubium revocare non licet „quae enim vel ipse vidit, vel a s. Marcellina de Ambrosio ejus fratre didicit, vel ex variorum epistolis post illius obitum datis de iis qui diversis in provinciis ipsum vidisse narrarunt, se scripsisse testatur“ (Baronius ad a. 397. n. 48. Cf. hic n. 1.). Dolendum tamen quod in rebus enarrandis vix ullam chronologiae rationem habuerit. Cui incommodo ut saltem ex parte occurreremus, notas chronologicas

Hieronymus presbyter stilo prosecuti sunt vitas sanctorum Pauli et Antonii in eremo positorum, sicut etiam Martini venerabilis episcopi turonensis ecclesiae Severus servus Dei luculento sermone contexuit: sic etiam ego beatissimi Ambrosii episcopi mediolanensis ecclesiae meo prosequar stilo. Sed ego ut meritis tantorum virorum, qui muri ecclesiarum sunt et eloquentiae fontes, ita etiam sermone me imparem novi. Tamen quia absurdum esse opinor, quod praecipis declinare, ea quae a probatissimis viris, qui illi ante me adstiterunt, et maxime ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quae ipse vidi, cum illi adstarem, vel quae ab iis cognovi, qui illum in diversis provinciis post

---

inseruimus, ut quae quoto anno contigerint, facile perspicere possit lector. Celebritatem náctus est etiam Paulinus in causa pelagianorum. Mediolano enim Carthaginem delatus ibique commorans Coelestium Pelagii comitem nova dogmata per urbem spargere ac dissidiis cuncta complere detexit, et haereticum hominem ad patres africanos synodum ibi celebrantes (a. 411. aut 412.) detulit. Cum vero Coelestius dogmata sibi objecta damnare recusaret a synodo damnatus fuit. Vitam autem S. Ambrosii secundum editionem paris. PP. Benedictinorum a Gallandio recusam edimus claritatisque gratia in capita distinximus.

obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quae ad illum scripta sunt, cum adhuc obiisse nesciretur: adjutus orationibus tuis et meritis tanti viri, licet inculto sermone, breviter strictimque describam, ut lectoris animum etsi sermo offenderit, brevitas tamen ad legendum provocet; nec verborum fucis veritatem obducam, ne dum scriptor elegantiae pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam, quem non magis phaleras pompasque verborum quam virtutem rerum gratiamque Spiritus sancti spectare conveniat. Siquidem noverimus, viatores gratiorem habere aquam brevi vena stillantem, forte cum sitiunt, quam profluentis fontis rivos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeaceus panis dulcis solet esse etiam his, qui centenis vicibus ferculorum quotidiani convivii copias ructare consuerunt. Sed et hortorum amoena mirantibus herbae agrestes placere consueverunt.

Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, ut credatis, vera esse quae scripsimus, nec putet me quisquam studio amoris aliquid, quod fide careat, posuisse; quandoquidem melius sit penitus nihil dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus, nos omnium sermonum

nostrorum reddituros esse rationem (Matth. 12, 36). Nec dubitem, etsi non ab omnibus omnia, tamen a diversis diversa sciri et ea cognita nonnullis esse, quae etiam minus ipse aut audire aut videre potui. Unde a die nativitatis ejus narrandi initium sumam, ut gratia viri ab incunabulis quae fuerit, agnoscatur.

CAPUT II.

S. Ambrosii ortus, adolescentia, prima munera.

3. Igitur posito in administratione praefecturae Galliarum patre ejus Ambrosio, natus Ambrosius est [1]). Qui infans in area praetorii in cuna positus, cum dormiret aperto ore, subito examen apum adveniens, faciem ejus atque ora complevit, ita ut ingrediendi in os egrediendique vices frequentarent. Quae pater, qui propter cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quae curam nutriendi infantis susceperat, prohibens, (sollicita enim erat, ne infanti nocerent), exspectabat patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illae post aliquam-

[1]) Probabiliter Treviris intra a. 333—340.

diu evolantes, in tantam aeris altitudinem sublevatae sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operabatur enim jam tunc Dominus in servuli sui infantia, ut impleretur, quod dictum est: *Favi mellis sermones boni* (Proverb. 16, 24). Illud enim examen apum scriptorum ipsius nobis generabat favos, qui coelestia dona annunciarent et mentes hominum de terrenis ad coelum erigerent.

4. Postea vero cum adolevisset et esset in urbe Roma constitutus [1]) cum matre vidua et sorore, quae virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine, cujus virginis soror Candida et ipsa ejusdem professionis, quae nunc Carthagine degit jam anus, cum videret sacerdotibus a domestica, sorore, vel matre manus osculari: ipse ludens offerebat dexteram dicens, et sibi id ab ea fieri oportere, siquidem episcopum se futurum esse memorabat. Loquebatur enim in illo Spiritus Domini, qui illum ad sacerdotium nutriebat; illa vero, ut adolescentem et nescientem quid diceret, respuebat.

5. Sed postquam edoctus liberalibus dis-

---

[1]) Non ante a. 353.

ciplinis, ex urbe egressus est professusque in auditorio praefecturae praetorii, ita splendide causas peroravit, ut eligeretur a viro illustri Probo, tunc praefecto praetorii, ad consilium tribuendum. Post haec consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam Aemiliamque provincias, venitque Mediolanum.

CAPUT III.

In episcopum mediolanensem non citra Dei nutum eligitur. Subterfugere conatur sed frustra. Ejus electio miraculis confirmatur.

6. Per idem tempus mortuo Auxentio arianae perfidiae episcopo, qui, Dionysio beatae memoriae confessore ad exsilium destinato, incubabat ecclesiam, cum populus ad seditionem surgeret in petendo episcopo essetque illi cura sedandae seditionis, ne populus civitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad ecclesiam; ibique cum alloqueretur plebem, subito vox fertur infantis in populo sonuisse „Ambrosium episcopum“. Ad cujus vocis sonum totius populi ora conversa sunt, acclamantis „Ambrosium episcopum“; ita qui antea turbulentissime dissidebant, quia et ariani sibi et catholici sibi episcopum cupiebant superatis alterutris ordinari, re-

pente in hunc unum mirabili et incredibili concordia consenserunt.

7. Quo ille cognito egressus ecclesiam tribunal sibi parari fecit, quippe mox futurus episcopus altiora conscendit; tunc contra consuetudinem suam tormenta jussit personis adhiberi. Quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat: „Peccatum tuum super nos.“ Sed non similiter is populus tunc clamavit, sicut populus judaeorum; illi enim vocibus suis sanguinem dominicum effuderunt, dicentes: *Sanguis hujus super nos* (Matth. 27, 25); isti vero catechumenum scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus revertens domum philosophiam profiteri voluit, futurus sed verus philosophus Christi, qui contemptis secularibus pompis piscatorum secuturus esset vestigia, qui Christo populos congregarunt non fucis verborum, sed simplici sermone et verae fidei ratione, missi sine pera, sine virga etiam ipsos philosophos converterunt. Quod ubi ne faceret, revocatus est; publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ad hoc tantum, ut visis his populi intentio revocaretur. At vero populus magis magisque clamabat: „Peccatum tuum super nos“.

8. At ille cum videret, nihil intentionem suam posse proficere, fugam paravit egressusque noctis medio civitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis mediolanensis, quae romana dicitur, invenitur; Deus enim, qui Ecclesiae suae catholicae murum parabat adversus inimicos suos et turrem erigebat David contra faciem Damasci, hoc est, contra perfidiam haereticorum, fugam illius impedivit. Qui inventus cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum, qui summo gaudio accepit, quod judex a se directus ad sacerdotium peteretur. Laetabatur etiam Probus praefectus, quod verbum ejus impleretur in Ambrosio; dixerat enim proficiscenti, cum mandata ab eodem darentur, ut moris est: „Vade, age non ut judex, sed ut episcopus."

9. Pendente itaque relatione iterum fugam paravit atque in possessione cujusdam Leontii clarissimi viri aliquamdiu delituit. Sed ubi relatione responsum est, ab eodem Leontio proditur; praeceptum enim erat vicario, ut insisteret rebus perficiendis, qui injuncta sibi cum vellet implere, proposito edicto convenit omnes, ut si vellent sibi consulere rebusque suis, proderent virum. Pro-

ditus itaque et adductus Mediolanum, cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulavit non se nisi a catholico episcopo baptizari; sollicite enim cavebat perfidiam arianorum. Baptizatus itaque fertur omnia ecclesiastica officia implesse atque octava die episcopus ordinatus est summa cum gratia et laetitia cunctorum [1]). Igitur post annos aliquot ordinationis suae ad urbem Romam, hoc est, ad proprium solum perrexit ibique sanctam puellam, de qua supra memoravimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana, sicut reliquerat, invenit, jam matre defuncta. Atque cum illa dexteram illius oscularetur, subridens ait illi: „Ecce, ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis [2]).

10. Per idem tempus cum trans Tiberim apud quandam clarissimam invitatus sacrificium in domo offerret, quaedam balneatrix, quae paralytica in lecto jacebat, cum cognovisset, ibidem esse Domini sacerdotem, in sellula se ad eandem domum, ad quam ille invitatus venerat, portari fecit atque orantis

---

[1]) Die 7. dec. 374, qua recurrente anniversariam ejus memoriam Ecclesia celebrat.

[2]) Forte c. a. 382.

et imponentis manus vestimenta attigit. Quae cum exoscularetur, statim sanitate recepta ambulare coepit, ut impleretur illud dominicum dictum ad apostolos: *Etiam majora his facietis, credentes in nomine meo* (Joh. 14, 12). Quod tamen signum sanitatis ut mirabile fuit ita etiam nec occultum; nam ego hoc in eadem regione post annos plurimos sanctis viris referentibus, positus in urbe cognovi.

11. Sirmium vero cum ad ordinandum episcopum Anemium perrexisset ibique Justinae tunc temporis reginae potentia et multitudine coadunata de ecclesia pelleretur, ut non ab ipso sed ab haereticis arianus episcopus in eadem ecclesia ordinaretur, essetque constitutus in tribunali, nihil curans eorum, quae a muliere excitabantur: una de virginibus arianorum impudentior ceteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento sacerdotis cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis caesus de ecclesia pelleretur, ait ei, ut ipse solitus erat referre: „Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non convenit vel professionem tuam in qualemcunque sacerdotem manus injicere; unde deberes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid mali eveniret.“ Quod dictum

exitus confirmavit; nam alio die mortuam ad sepulcrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non levem adversariis incussit metum pacemque magnam Ecclesiae catholicae in ordinando episcopo tribuit [1]).

CAPUT IV.

Justina augusta s. episcopum vexat a. 385, 386.

12. Ordinato itaque catholico sacerdote, Mediolanum revertitur ibique supradictae Justinae mulieris innumeras insidias sustinuit, quae muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis populum excitabat. Sed infirmorum animi talibus promissis decipiebantur; promittebat enim tribunatus et diversas alias dignitates iis, qui illum de ecclesia raptum ad exsilium perduxissent. Quod cum multi conarentur, sed Deo praesule perficere non valerent, unus infelicior ceteris, nomine Euthymius, in tantum furorem excitatus est, ut juxta ecclesiam sibi domum pararet atque in eadem carrum constitueret, quo facilius raptum, superpositum carpento, ad exsilium perduceret. *Sed iniqui-*

[1]) Contigit hoc c. a. 380.

tas ejus in verticem ipsius descendit (Ps. 7, 17); post annum etenim eodem die, quo illum rapere se arbitrabatur, in eodem carpento impositus de eadem domo ipse ad exsilium destinatus est, reputans sibi justo judicio Dei id in se esse conversum, ut in eo carpento dirigeretur ad exsilium, quod ipse paraverat sacerdoti. Cui non minimum solatii sacerdos praebuit, dando sumptus, vel alia quae erant necessaria.

13. Sed haec confessio hominis nec mulieris furorem nec vesanorum arianorum dementiam repressit, majore etenim accensi amentia, basilicam portianam invadere nitebantur; exercitus etiam armatus ad custodiendas fores ecclesiae est directus, ut nemo auderet catholicam ecclesiam ingredi. Sed Dominus, qui de adversariis suis Ecclesiae suae triumphos donare consuevit, ad ecclesiae suae munimentum militum corda convertit, ut aversis scutis ecclesiae fores servarent nec egredi dimitterent, sed ingredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primum antiphonae, hymni ac vigiliae in ecclesia mediolanensi celebrari coeperunt. Cujus ce-

lebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia, verum per omnes pene occidentis provincias manet.

CAPUT V.

Corpora ss. martyrum Gervasii et Protasii invenit; qua occasione ex obsessorum corporibus daemones pelluntur. Arianorum coecitas et protervitas (a. 386).

14. Per idem tempus sancti martyres Protasius et Gervasius se sacerdoti revelaverunt. Erant enim in basilica positi, in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis martyrum; sed sancti martyres Nabor et Felix celeberrime frequentabantur, Protasii vero et Gervasii martyrum ut nomina ita etiam sepulcra incognita erant, in tantum ut supra eorum sepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris et Felicis martyrum ab injuria sepulcra defendebantur. Sed ubi sanctorum martyrum corpora sunt levata et in lecticis posita, multorum ibi sanatae aegritudines perdocentur. Coecus etiam Serverus nomine, qui nunc usque in eadem basilica, quae dicitur ambrosiana, in quam martyrum corpora sunt translata, religiose servit, ubi vestem martyrum attigit, statim lumen recepit. Obsessa etiam corpora a spiritibus immundis curata summa

cum gratia domum repetebant. Sed iis beneficiis martyrum in quantum crescebat fides Ecclesiae catholicae, in tantum arianorum perfidia minuebatur.

15. Denique ex hoc tempore sedari coepit persecutio, quae Justinae furore accendebatur, ut sacerdos de ecclesia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo arianorum cum Justina constituta deridebat tantam Dei gratiam, quam Ecclesiae catholicae Dominus Jesus meritis martyrum suorum conferre dignatus est venerabilemque virum Ambrosium narrabat pecunia comparasse homines, qui se vexari ab immundis spiritibus mentirentur atque ita ab illo sicut et a martyribus se torqueri dicerent. Sed hoc judaico ore loquebantur ariani, suppares scilicet eorum; illi enim de Domino dicebant, quoniam *in Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia* (Luc. 11, 15); isti de martyribus vel de Domini sacerdote loquebantur, quod non Dei gratia, quae per ipsos operabatur, immundi spiritus pellerentur, sed accepta pecunia se torqueri mentirentur. Clamabant enim daemones: „Scimus vos martyres;“ et ariani dicebant: „Nescimus esse martyres.“ Jam hoc et in Evangelio legimus, ubi dixerunt daemones ad Dominum Jesum: *Sci-*

mus te, quia sis Dei Filius (Marc. 1, 24); et judaei dicebant: *Hic autem unde sit, nescimus* (Joh. 9, 29). Sed non hic testimonium accipitur daemonum sed confessio; unde miseriores ariani vel judaei, ut, quod confitentur daemones, illi negent.

16. Deus tamen, qui gratiam Ecclesiae suae augere consuevit, non passus est diu insultari a perfidis sanctis suis. Unus itaque ex ipsa multitudine subito arreptus a spiritu immundo clamare coepit, ita torqueri eos, ut ipse torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui converti debuerant et dignam tali confessione agere poenitentiam, in piscinam demersum hominem neccaverunt, perfidiae homicidium adjungentes; deduxit enim illos ad hunc finem digna necessitas. Sanctus vero Ambrosius episcopus majoris humilitatis vir factus, donatam sibi a Domino gratiam reservabat crescebatque quotidie fide et amore coram Deo et hominibus.

17. Per idem tempus erat quidam vir de haeresi arianorum, acerrimus nimium disputator et durus atque inconvertibilis ad fidem catholicam. Is constitutus in ecclesia, tractante episcopo, vidit (ut ipse postmodum

loquebatur) angelum ad aures episcopi tractantis loquentem; ut verba angeli populo episcopus renunciare videretur. Quo viso conversus fidem, quam expugnabat, coepit ipse defendere.

18. Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gratiani imperatoris de haeresi arianorum, qui tractanti episcopo quaestionem proponerent, ad quam audiendam altero die ad bascilicam portianam se adfuturos promiserant; erat enim quaestio de incarnatione Domini. Sed alio die miserandi homines superbiae tumore completi nec memores promissorum, contemnentes Deum in sacerdote ipsius nec plebis exspectantis considerantes injuriam, immemores etiam dictorum dominicorum, quoniam *qui scandalizaverit unum ex minimis istis, oportet ut mola asinaria collo ejus alligetur, et demergatur in profundum maris* (Matth. 18, 6), ascendentes in rhedam, quasi gratia gestandi, civitatem egressi sunt, exspectante sacerdote et plebe in ecclesia constituta. Sed hujus contumaciae quis finis fuerit, horresco referens; subito enim praecipitati de rheda, animas emiserunt, atque corpora illorum sepulturae sunt tradita. Sanctus vero Ambrosius cum ignoraret, quid factum esset

nec diutius posset plebem tenere, ascendens pro tribunali, de eadem quaestione, quae fuerat proposita, sermonem adorsus est, dicens: „Debitum, fratres, cupio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores", et reliqua, quae scripta sunt in libro, qui de Incarnatione Domini intitulatur [1]).

CAPUT VI.

Ejus ad Maximum usurpatorem legatio et sacerdotalis contra eundem vigor. Daemonibus est terrori.

19. Occiso itaque Gratiano imperatore recipiendi corporis ejus causa, secundam ad Maximum suscepit legationem. Apud quem quam constanter egerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolam ad Valentinianum juniorem datam cum legerit, approbabit; nobis enim alienum a promissione visum est, illam inserere, ne adjunctae epistolae prolixitas fastidium legenti afferret. Ipsum vero Maximum a communionis consortio segregavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et quod est gravius, innocentis, ageret poenitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum poeni-

[1]) Contigit hoc a. 382.

tentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram sed etiam praesentem salutem amisit regnumque, quod male arripuerat, femineo quodam modo, timore deposuit, ut procuratorem se reipublicae non imperatorem fuisse confiteretur [1]).

20. Mortua vero Justina (a. 388.) quidam haruspex, Innocentius nomine non tamen opere, cum in causa maleficiorum a judice torqueretur, aliud quam interrogabatur fateri coepit; clamabat enim ab angelo majora tormenta sibi adhiberi eo, qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus Justinae ad excitanda odia populorum in episcopum cacumen tecti ecclesiae conscendens medio noctis sacrificaverit. Sed quanto instantius et sollicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem catholicam et Domini sacerdotem convalescebat. Misisse se etiam et daemones, qui illum internecarent, fatebatur, sed daemones renunciasse, se non solum ad ipsum appropinquare minime posse,

---

[1]) Semel (a. 383.) et iterum (387.) legatus profectus est s. praesul ad Maximum. Primum recipiendi corporis Gratiani causa, deinde ut tyrannum illum jamjam Italiae imminentem averteret ageretque de pace cum eo.

verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat episcopus, quia ignis insuperabilis omne illud aedificium communiret, ut etiam longe positi urerentur; atque ita cessasse artes suas, quibus adversus Domini sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubiculum usque pervenit, ut interficeret sacerdotem: sed cum elevasset manum. districto gladio dextera exserta in aera obrigente remansit. Tunc se missum a Justina postquam confessus est, brachium, quod inique cum extenderetur, obriguerat, sanatum est confessione.

21. Per idem tempus cum vir illustris Probus puerum suum notarium, qui spiritu immundo graviter vexabatur, direxisset ad episcopum, egressum ex urbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum perduci. Atque ita puer quamdiu Mediolani apud episcopum fuit nulla in illo diaboli dominatio apparuit; sed ubi egressus Mediolano est et prope urbem pervenit, idem spiritus qui illum antea habuerat, vexare eum coepit. Qui cum interrogaretur ab exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuisset, non in illo apparuisset, confessus est diabolus, timuisse se Ambrosium et ideo recessisse ad tempus atque exspectasse in illo loco, ubi ab illo recesserat,

donec reverteretur, quo revertente, vas quod deseruerat, repetiisset.

CAPUT VII.

Gratia apud Theodosium valet, quem propter civium thessalonicensium caedem sacramentorum communione privat. S. episcopi fama ad Persas usque penetrat.

22. Exstincto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolani, Ambrosio vero episcopo constituto Aquilejae (a. 388.), in partibus orientis in quodam castello a christianis viris synagoga judaeorum et lucus valentinianorum incendio concremata sunt, propterea quod judaei vel valentiniani insultarent monachis christianis; valentinianorum enim haeresis triginta deos colit. Sed de hujusmodi facto comes orientis ad imperatorem relationem direxit, qua accepta imperator praeceperat, ut synagoga ab episcopo loci reaedificaretur, in monachos vero vindicaretur. Sed hujus praecepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi, direxit ad imperatorem epistolam, quia ipse in tempore excurrere non poterat, qua illum convenit, ut id quod ab eodem statutum fuerat, revocaretur servarique sibi debere ab eo audientiam, quia, si

dignus non esset, qui ab illo audiretur, dignus etiam non esset, qui pro illo a Domino audiretur, vel cui suas preces aut cui sua vota committeret; paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui praevaricatorem faceret imperatorem, qui tam injusta contra Ecclesiam praecepisset.

23. Postea vero quam Mediolanum reversus est, posito imperatore in ecclesia, de eadem causa tractavit in populo. In quo tractatu introduxit Domini personam loquentis imperatori: „Ego te ex ultimo imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego tibi copias, quas ille adversum te exercitui suo praeparaverat, dedi, ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi, ego de semine tuo supra solium regni constitui, ego te triumphare sine labore feci: et tu de me inimicis meis donas triumphos?“ Cui descendenti de exhedra imperator ait: „Contra nos proposuisti hodie, episcope.“ At ille respondit, non se contra ipsum sed pro ipso fuisse locutum. Tunc imperator: „Revera, inquit, dure praeceperam contra episcopum de synagoga reparanda; in monachos vero vindicandum esse“. Ita et a comitibus, qui in tempore aderant, dicebatur. Quibus episcopus: „Ego quidem cum imperatore nunc

ago, vobiscum vero mihi aliter agendum est.“ Atque ita obtinuit, ut illa, quae statuta fuerant, revocarentur, nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua imperator illum agere debere testaretur. Cui episcopus: „Ergo ago fide tua.“ Respondit imperator: „Age fide mea.“ Qua sponsione iterata, jam securus peregit sacerdos divina mysteria. Haec autem scripta sunt in epistola, quam ad germanam suam fecit; in qua tractatum inseruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui a propheta Hieremia visus esse describitur (Jerem. 1, 11).

24. Per idem tempus (a. 390.) causa thessalonicensis civitatis non minima successit tribulatio sacerdoti, cum paene comperisset civitatem deletam. Promiserat enim illi imperator, se veniam daturum civibus supradictae civitatis, sed agentibus comitibus occulte cum imperatore, ignorante sacerdote, usque in horam tertiam gladio civitas est donata atque plurimi interempti innocentes. Quod factum ubi cognovit sacerdos, copiam imperatori ingrediendi ecclesiam denegavit nec prius dignum judicavit coetu ecclesiae vel sacramentorum communione, quam publicam ageret poenitentiam. Cui imperator contra asserebat, David adulterium simul et

homicidium perpetrasse. Sed responsum illico est: „Qui secutus es errantem, sequere corrigentem“. Quod ubi audivit clementissimus imperator, ita suscepit animo, ut publicam poenitentiam non abhorreret, cujus correctionis profectus secundam illi paravit victoriam.

25. Per idem tempus duo potentissimi et sapientissimi viri persarum ad famam sacerdotis venere Mediolanum, deferentes secum plurimas quaestiones, ut ex his probarent sapientiam viri; cum quo ab hora diei prima usque in horam tertiam noctis per interpretem disputaverunt admirantesque discesserunt ab eo. Et ut se probarent non ob aliam causam venisse, nisi ut certo certius nossent virum, quem fama compererant, alia die valefacientes imperatori, profecti sunt ad urbem Romam, illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi, qua cognita, ad propria remearunt.

CAPUT VIII.

Symmacho urbis praefecto restitutionem arae Victoriae urgenti fortiter resistit. SS. martyrum reliquias invenit. Gratia apud Deum et auctoritate apud imperatorem et reginam Marcomannorum valet.

26. Sed egresso Theodosio de Italia et Constantinopoli constituto, Valentiniano au-

gusto intra Gallias posito, directa legatio est [1]) sub nomine senatus a Symmacho tunc praefecto urbis de repetenda ara Victoriae et sumptibus caeremoniarum (a. 384). Sed ubi comperit sacerdos, misso libello ad imperatorem postulavit, ut ad se relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Qua relatione accepta, praeclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil unquam auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere; sed postquam augustae memoriae Valentinianus in viennensi civitate, quae est Galliarum civitas, vitam finivit (a. 392.), Eugenius suscepit imperium, qui ubi imperare coepit, non multo post, petentibus Flaviano tunc praefecto et Arbogaste comite, aram Victoriae et sumptus caeremoniarum, quod Valentinianus augustae memoriae adhuc in junioribus annis constitutus petentibus denegaverat, oblitus fidei suae concessit (a. 393).

27. Hoc ubi cognovit sacerdos, derelicta civitate mediolanensi, ad quam ille festinato veniebat, ad bononiensem civitatem emigravit, atque inde Faventiam usque perrexit.

---

[1]) Ita Mss. omnes et edit. Mediol. antiqq.; reliquae editt. omnes: directa relatio est.

Ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a florentinis ad Tusciam usque descendit, declinans magis aspectum sacrilegi viri, non formidans imperantis injuriam; nam et epistolam ad eundem dedit, in qua convenit conscientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi. „Etsi imperatoria potestas magna sit, tamen considera, imperator, quantus sit Deus. Corda hominum videt, conscientiam interiorem interrogat, novit omnia, antequam fiant, novit interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, et Deum vultis celare? Non cecidit in animum tuum quidquam? Si illi agebant tam perseveranter, nonne tuum fuit, imperator, pro Dei summi et veri et vivi veneratione perseverantius obsistere et negare, quod erat in injuriam sacrae legis?“ Et iterum: „Quoniam igitur meis vocibus et apud Deum et apud omnes homines teneor, aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi ut consulerem mihi, quia non potui tibi.“

28. In supradicta itaque civitate florentinorum cum in domo clarissimi quondam viri Decentis, et quod est amplius, christiani, maneret, filius ipsius Pansophius nomine admodum parvulus, cum spiritu immundo laboraret, frequenti oratione et impositione

manus sacerdotis ipsius est sanatus, sed post aliquantos dies subita infirmitate correptus infantulus exhalavit spiritum. Cujus mater valde religiosa et plena fide ac timore Dei, ablato illo de superiore parte domus ad interiora descendit ac in lecto sacerdotis, ipso absente, composuit. Quem cum revertens sacerdos in lectulo invenisset (erat enim illo in tempore extra domum positus), miseratus matrem et fidem ipsius contemplatus, Elisaeo similis (4. Reg. 4, 34.) supra corpus infantis se ipse composuit atque orando meruit, ut vivum redderet matri, quem mortuum invenerat; ad quem etiam infantulum libellum [1]) conscripit, ut quod per aetatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret. Verumtamen factum scriptis suis non commemoravit; sed quo affectu declinaverit commemorare, non est nostrum judicare.

29. In eadem etiam civitate basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis et Agricolae, quorum corpora in bononiensi civitate levaverat; posita enim erant corpora martyrum inter corpora judaeorum nec erat cognitum populo christiano, nisi se sancti martyres sacerdoti ipsius ecclesiae revelassent. Quae cum deponerentur sub altari,

[1]) Non exstat hujusmodi libellus.

quod est in eadem basilica constitutum, magna illic totius plebis sanctae laetitia atque exsultatio fuit, poena daemonum confitentium martyrum merita.

30. Per idem tempus Arbogastes comes adversum gentem suam, hoc est francorum, bellum paravit atque pugnando non parvam multitudinem manu fudit, cum residuis vero pacem firmavit. Sed cum in convivio a regibus gentis suae interrogaretur, utrum sciret Ambrosium et respondisset, nosse se virum et diligi ab eo atque frequenter cum illo convivari solitum, audivit: „Ideo vincis, comes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit soli: Sta, et stat.“ Quod ego ideo posui, ut cujus famae fuerit vir sanctus etiam apud barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam et nos, referente juvene quodam Arbogastis admodum religioso, cognovimus, qui tunc interfuit; erat enim in tempore, quo haec loquebantur, vini minister.

31. Profectus itaque sacerdos de Tusciae partibus Mediolanum revertitur, jam inde egresso Eugenio contra Theodosium: ibi christiani imperatoris praestolabatur adventum, securus de Dei potentia quod non traderet credentem in se hominibus injustis nec relinqueret virgam peccatorum super

sortem justorum, ne extenderent justi ad iniquitates manus suas (Ps. 124, 3). Promiserat enim Arbogastes tunc comes et Flavianus praefectus Mediolano egredientes, cum victores reversi fuissent, stabulum se esse facturos in basilica Ecclesiae mediolanensis atque clericos sub armis probaturos; sed miserandi homines cum daemonibus suis male creduli sunt, et aperiunt os suum in blasphemiam apud Deum, spem sibi victoriae ademerunt. Causa autem commotionis haec fuit, quia munera imperatoris, qui se sacrilegio miscuerat, ab ecclesia respuebantur nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consuevit, de coelo jaculatus est judicium atque omnem victoriam ad religiosum imperatorem transtulit Theodosium. Exstincto itaque Eugenio satellitibusque ejus, cum scripta acciperet imperatoris, non illi alia cura major fuit, quam ut pro iis interveniret, quos reatus invenerat. Obsecratus est primo scriptis imperatorem misso diacono; postea vero quam directus est Joannes tunc tribunus et notarius, qui nunc praefectus est ad tuitionem eorum, qui ad ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquileiam perrexit, precaturus pro eis; quibus facile venia impetrata est,

quia ipse christianus imperator provolutus pedibus sacerdotis testabatur, meritis et orationibus ejus se esse servatum (a. 394.)

32. Revertens itaque de urbe aquilejensi, uno die praecessit imperatorem nec diu clementissimae memoriae Theodosius imperator, susceptis filiis in ecclesia et traditis sacerdoti, in hac luce fuit; post cujus obitum fere trienium supervixit. Quo in tempore sancti Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum ad basilicam apostolorum quae est in Romana [1]) transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo jacebat corpus martyris, qui quando sit passus, usque in hodiernum scire non possumus, sanguinem martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut nobis videretur eodem tempore, quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro. Et quid mirum, quandoquidem Dominus in Evangelio ante promisit, quod capillus de capite eorum

---

[1]) Ad h. l. animadvertunt Benedictini: „Omnes editt. (praeter utramq. Mediol.) *quae est romana*, mss. e contrario: *quae est in romana*, regione scilicet, i. e. prope portam romanam urbis Mediolani."

non peribit (Luc. 21, 18. cll. 12, 7. et Matth. 10, 30)? Etiam odore tanto repleti sumus, ut omnium aromatum vinceret suavitatem.

33. Quo levato corpore martyris et in lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto sacerdote ad orationem perreximus. Nunquam tamen illum antea orasse in eodem loco compertum habemus; sed hoc erat signum revelati corporis martyris, si sanctus sacerdos ad locum, ad quem nunquam antea fuerat, oratum isset. Cognovimus tamen a custodibus loci ipsius, quod a parentibus suis illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem et progeniem suorum, eo quod thesauri magni in eodem loco positi essent. Et vere magni thesauri, quos non aerugo neque tinea exterminat neque fures effodiunt et furantur, quia custos eorum Christus est et locus eorum aula coelestis, quibus *vivere Christus fuit, et mori lucrum* (Philipp. 1, 21). Translato itaque corpore martyris ad basilicam apostolorum, ubi pridem sanctorum apostolorum reliquiae summa omnium devotione depositae fuerant, cum tractaret episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo clamare coepit, se torqueri ab

Ambrosio. At ille conversus ad eum ait: „Obmutesce, diabole, quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum et invidia tua, quoniam illuc vides ascendere homines, unde tu dejectus es; nam Ambrosius nescit inflari.“ Quo dicto, ille, qui clamabat, obmutuit prostratusque in terram est nec amplius vocem, qua obstrepere posset, emisit.

34. Per idem tempus [1]) cum consulatus sui tempore imperator Honorius in urbe mediolanensium lybicarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia est missis militibus tunc ab Stilicone comite hortatu Eusebii praefecti, ut Cresconius quidam de ecclesia raperetur; quem confugientem ad altare Domini sanctus episcopus cum clericis qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quae duces suos habebat de perfidia arianorum, praevaluit adversum paucos atque ablato Cresconio exsultantes ad amphitheatrum reverterunt, Ecclesiae luctum non modicum relinquentes; nam sacerdos prostratus ante altare Domini factum diu flevit. Sed in tempore cum revertissent et renunciassent iis, a quibus fuerant destinati milites, dimissi leopardi saltu celeri ad eundem locum,

[1]) Contigit hoc a. 396.

in quo sederant, qui de Ecclesia triumphabant, ascendentes graviter laniatos reliquerunt. Quod ubi vidit tunc Stilico comes, poenitentia motus est, ita ut per multos dies satisfaceret sacerdoti et illaesum quidem illum, qui ablatus fuerat, dimisit; sed quia gravissimorum criminum erat reus et aliter emendari non poterat, ad exsilium destinavit, non multo post indulgentia prosequente.

35. Per idem tempus cum ad palatium pergeret eumque pro loco officii nostri sequeremur, Theodulo tunc notario, qui postea summa cum gratia mutinensem rexit ecclesiam, cum casu quidam pede esset lapsus atque prostratus jaceret in terra, ridenti factum conversus sacerdos ait: *Et tu qui stas, vide, ne cadas* (1. Cor. 10, 12). Quo dicto statim is, qui alienum lapsum riserat, suum doluit.

36. Per idem tempus Frigitil quaedam regina marcomannorum cum a quodam christiano viro, qui ad illam forte de Italiae partibus advenerat, referente sibi audiret famam viri, Christo credidit, cujus illum servulum recognoverat missisque Mediolanum muneribus ad ecclesiam per legatos postulavit, ut scriptis ipsius, qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam

fecit praeclaram in modum catechismi, in qua etiam admonuit, ut suaderet viro, romanis pacem servare; qua accepta epistola mulier suasit viro, ut cum populo suo se romanis traderet. Quae cum venisset Mediolanum, plurimum doluit, quod sanctum sacerdotem, ad quem festinarat, minime reperisset; jam enim de hac luce migraverat.

37. Temporibus vero Gratiani, ut retro redeam, cum ad praetorium Macedonii tunc magistri officiorum pro quodam intercedendum perrexisset atque ex praecepto supradicti viri fores invenisset clausas nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: „Et tu quidem venies ad ecclesiam nec clausis januis invenies, qua ingrediaris.“ Quod factum est; mortuo enim Gratiano confugiens Macedonius ad ecclesiam patentibus januis aditum reperire non poterat.

CAPUT IX.

Virtutes s. Episcopi. Ejus abstinentia, in rebus divinis assiduitas, divitiarum contemptus, misericordia erga alios. Charismatum gratia refulget.

38. Vir autem ipse venerabilis episcopus multae abstinentiae et vigilarum multarum et laborum, quotidiano jejunio ma-

cerans corpus, cui prandendi nunquam consuetudo fuit nisi die sabbati et dominico, vel cum natalitia celeberrimorum martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte; nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate corpus ejus attineretur. Erat etiam in illo sollicitudo omnium ecclesiarum, interveniendi etiam magna assiduitas et constantia. In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi tempore, quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam nimium pro pauperibus et captivis; nam in tempore, quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum, quod habere poterat, ecclesiae vel pauperibus contulit. Praedia etiam, quae habebat, reservato usufructuario germanae suae, donavit ecclesiae, nihil sibi, quod hic suum diceret, derelinquens, ut nudus atque expeditus miles Christum Dominum sequeretur: *Qui cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur* (2. Cor. 8, 9).

39. Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus (Rom. 12, 15), siquidem, quotiescunque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confes-

sus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quae illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint quam accussatores apud homines. Nam et secundum Apostolum circa hujusmodi hominem confirmanda caritas est, quia ipse sui accusator est nec exspectat accusatorem sed praevenit, ut confitendo suum allevet [1]) ipse delictum, ne habeat, quod adversarius criminetur. Ideoque Scriptura dicit: *Justus in principio sermonis accusator est sui* (Proverb. 18, 17). Vocem enim eripit adversario et quasi dentes quosdam paratos ad praedam criminationis infestae peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem Deo, cui nuda sunt omnia (Hebr. 4, 13) et qui vult vitam magis peccatoris quam mortem (Ezech. 18, 32). Nam et ipsi poenitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur emen-

[1]) In mss. quatuor legitur *ut absolvat*; in uno, *ut abluat*; in alio, *ut alliget*; in duobus reliquis et editt. *ut allevet*. Ceterum oportune cum hoc n. conferentur quae ipse s. Ambrosius scribit de poenit. l. 2. c. 8. n. 73 ss. (Opusc. t. 5. p. 98 s.)

datio facti, ut poenitens non faciat poenitenda, humiliet etiam animam suam, sicut David sanctus, qui, postquam audivit a propheta: *Dimissum est peccatum tuum* (2. Reg. 12, 13), humilior factus est in emendatione peccati, ita ut cinerem sicut panem manducaret et potum suum cum fletu misceret (Psal. 101, 10).

40. Flebat etiam amarissime, quotiescunque forte nunciatum illi fuerat de cujuscunque sancti obitu sacerdotis, in tantum ut nos illum consolari niteremur, ignorantes pium affectum viri nec qua ratione ita fleret intelligentes. Quibus ille hujusmodi responsum reddebat: Non se flere, quia recesserat, qui fuerat mortuus nunciatus, sed quia praecesserat, vel quia difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur. Ipse autem de sua morte ante praedixit, quod usque ad pascha nobiscum futurus esset; quod quidem meruit, Dominum obsecrando, quo maturius hinc liberaretur.

41. Ingemiscebat enim vehementer, cum videret radicem omnium malorum avaritiam pullulare, quae neque copia neque inopia minui potest, magis magisque increscere in hominibus et maxime in iis, qui in potestatibus erant constituti, ita ut interveniendi illi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia

pretio distrahebantur. Quae res primo omne malum invexit Italiae; et exinde omnia verguntur in pejus. Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas praetendere: *Ad excusandas excusationes in peccatis* (Ps. 140, 4); quandoquidem plerosque ceperit etiam coelibes sacerdotes vel levitas, quibus portio Deus est (Deutr. 18, 2), ut etiam ipsi illam appetant. Et vae nobis miseris! quia nec fine mundi provocamur, ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod demergit ad profundum inferni, ut faciamus nobis *amicos de iniquo mammona, qui nos recipiant in aeterna tabernacula* (Luc. 16, 9). Attamen beatus ille, qui quandoque conversus, diruptis vinculis atque projecto jugo hujusmodi dominationis, *tenebit et allidet parvulos ejus ad petram* (Ps. 136, 9), hoc est, omnes intentiones ejus allidet ad Christum, qui secundum Apostolum petra est, quae omnes ad se allisos interimit, ipsa inviolabilis manens nec rerum faciens eum, qui ad se alliserit nequissimi uteri deteriores partus, sed innocentem, ita ut securus possit dicere: *Portio mea Dominus* (Ps. 118, 57); quia cui nihil in seculo est, illi vere portio est Christus et qui contempserit parva, multa

percipiet, insuper et vitam aeternam possidebit (Matth. 19, 29).

42. Ante paucos vero dies quam lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, me et excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis ignis caput ejus cooperuit atque paulatim per os ipsius tamquam in domum habitator ingressus est, post quod facta est facies ejus velut nix et postea reversus est vultus ejus ad speciem suam. Quod cum fieret, stupore perculsus obrigui nec potui scribere, quae ab illo dicebantur, nisi posteaquam visio ipsa transivit; dicebat enim in eo tempore testimonium Scripturae divinae, quod ego optime retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit, siquidem ipsum psalmum explere non potuit. Ego vero id, quod visum a me fuerat, honorabili viro Casto diacono, sub cujus cura degebam, statim retuli; at ille repletus gratia Dei Spiritus sancti adventum me in illo vidisse, edocuit lectione actuum apostolorum.

43. Superioribus autem diebus cum Stiliconis tunc comitis servus, qui daemonio laboraverat, in ambrosiana basilica jam sanus maneret, commendatus a Domino suo (ferebatur enim, quod libenter ab eodem habere-

tur faceretque falsas epistolas tribunatus, in tantum ut tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant); sed ubi ad personam servi sui pervenit comes Stilico, noluit in eum vindicare; homines etiam, qui decepti fuerant, interventu sacerdotis dimisit, de ipso vero servo sacerdoti questus est. Quem vir sanctus, cum de basilica ambrosiana egrederetur, requiri fecit atque ad se perduci. Quem cum interrogasset et deprehendisset auctorem tanti flagitii, ait: „Oportet illum tradi satanae in interitum carnis, ne talia aliquis in posterum audeat admittere.“ Quem eodem momento, cum adhuc sermo esset in ore sacerdotis, spiritus immundus arreptum discerpere coepit; quo viso non minimo timore repleti sumus et admiratione. Multos etiam diebus illis, imponente illo manus et imperante, ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

44. Per idem tempus Nicentius quidam ex tribuno et notario [1]), qui ita pedum dolore tenebatur, ut raro in publico videretur, cum ad altare accessisset, ut sacramenta per-

---

[1]) Sic plerique libri mss. et omnes editt., cod. vero Becc. *extribunus et notarius*, unus Germ. *ex tribuno notarius*. Vid. Benedictt.

ciperet calcatusque casu a sacerdote exclamasset, audivit: „Vade et amodo salvus eris.“ Nec se amplius doluisse pedes, tempore, quo sanctus sacerdos de hac luce migravit, lacrymis testabatur.

CAPUT X.

Morbo corripitur et s. viatico refectus moritur. Exsequiae ingenti omnium concursu celebrantur. Daemones sanctitatis illius testes. Pluribus post mortem apparet.

45. Sed post dies hos, ordinato sacerdote ecclesiae Ticinensi, incidit in infirmitatem, qua cum plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur, quod tanto viro recedente de corpore interitus immineret Italiae. Unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligi a sancto sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum sacerdotem suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret a Domino commeatum. Quod ille ubi ab illis audivit, respondit: „Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus [1]).“

[1]) Laudat haec verba s. Augustinus, ut refert Possidius in ejus vita c. 27.

46. Per idem tempus cum in extrema parte porticus, in qua jacebat, in uno positi Castus, Polemius, Venerius et Felix tunc diaconi secum tractarent voce ita pressa, ut vix se invicem audirent, quis post obitum illius episcopus ordinandus esset atque cum de nomine sancti loquerentur Simpliciani: tamquam interesset tractatui, cum longe positus ab ipsis jaceret, approbans exclamavit tertio: „Senex, sed bonus.“ Erat enim Simplicianus aevi maturus. Qua voce audita, expavescentes fugerunt; defuncto tamen eo, non alius illi successit in sacerdotium nisi is, quem ille bonum senem trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius, quem supra memoravimus, successor fuit, Felix vero nunc usque Bononiensem regit ecclesiam, Castus autem et Polemius nutriti ab Ambrosio bonae arboris boni fructus, in ecclesia mediolanensi diaconii funguntur officio.

47. In eodem tamen loco, in quo jacebat, sicut referente sancto Bassiano episcopo laudensis ecclesiae, qui ab eodem audierat, didicimus, cum oraret una cum supradicto sacerdote, viderat Dominum Jesum advenisse ad se et arridentem sibi; nec multos post dies nobis ablatus est. Sed eodem tempore, quo migravit ad Dominum, ab hora circiter

undecima diei usque ad illam horam, in qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit; nos vero labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus etiam sacerdos ecclesiae Vercellis cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus, quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens ut in virtute escae anima refectior angelorum nunc consortio, quorum vita vixit in terris, et Eliae societate laetetur, quia ut Elias nunquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est (a. 397).

48. Atque inde ad ecclesiam majorem antelucana hora, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in pascha; quem plurimi infantes baptizati cum a fonte venirent, viderunt, ita ut aliqui sedentem in cathedra in tribunali dicerent, alii vero ambulantem suis parentibus digito ostenderent, sed illi videntes videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant; plurimi autem stellam supra corpus ejus se vidisse narrabant. Sed lu-

cescente die dominico, cum corpus ipsius peractis sacramentis divinis de ecclesia levaretur, portandum ad basilicam ambrosianam, in qua positus est, ita ibi daemonum turba clamabat, se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non possent. Quae gratia sacerdotis non solum in illo loco, verum etiam in plurimis provinciis usque in hodiernum manet; jactabant etiam turbae virorum ac mulierum oraria vel semicinctia sua, ut corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exsequiarum turba innumerabilis totius dignitatis totiusque sexus omniumque paene aetatum non solum christianorum sed etiam judaeorum et paganorum; majore tamen gratia ordo praecedebat eorum, qui fuerant baptizati.

49. Eadem vero qua obiit die, (sicut textus epistolae loquitur, quae a successore ejus venerabili viro Simpliciano suscepta est, de partibus orientis ad ipsum tamquam adhuc nobiscum viventem directa, quae nunc usque Mediolani habetur in monasterio), quibusdam sanctis viris apparuit, orans cum illis et imponens illis manus; habet enim diem epistola, quae directa est; qua lecta invenimus, illum diem esse, quo ille defunctus est.

50. Intra Tusciam etiam in civitate florentina, ubi nunc vir sanctus Zenobius

episcopus est, quia promiserat petentibus illis, eos se saepius visitaturum, frequenter ad altare, quod est in basilica ambrosiana, quae ibidem ab ipso constituta est, visum orare, ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadem etiam domo, in qua declinans Eugenium mansit, tempore quo Radagaisus supradictam civitatem obsidebat, cum jam de se penitus desperassent viri civitatis ipsius, per visum cuidam apparuit et promisit, alio die salutem illis affuturam. Quo referente, civium animi sunt erecti; nam altero die adveniente Stilicone tunc comite cum exercitu facta est de hostibus victoria. Haec Pansophia religiosa femina matre pueri Pansophii referente cognovimus.

51. Mascezeli etiam desperanti de salute sua vel exercitus, quem ductabat contra Gildonem, baculum tenens manu in visu nòctis apparuit atque cum provolveretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens terram senex baculo, quo regebatur, tertio (hac enim illi specie apparuerat) ait: Hic, hic, hic, signans locum deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, ut agnosceret, se in ipso loco, in quo sanctum Domini viderat sacerdotem, die tertia victo-

riam adepturum; atque ita securus bellum inchoavit et consummavit. Nos tamen ea Mediolani positi ipso Mascezele referente cognovimus; nam et in hac provincia, in qua nunc positi haec scribimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus securius haec nobis cognita huic libro adjungere arbitrati sumus.

52. Sisinnii etiam et Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosii in Anauniae partibus persequentibus gentilibus viris martyrii coronam adepti sunt, cum reliquias Mediolani summa cum devotione susciperemus, adveniente quodam caeco et referente cognovimus, qui eodem die tacto loculo, in quo sanctorum reliquiae portabantur, lumen recepit, quod per visum noctis vidisset navem appropinquantem litori, in qua erat multitudo albatorum virorum. Quibus descendentibus ad terram cum unum de turba precaretur, ut sciret, qui essent ii viri, audierit Ambrosium ejusque consortes: quo audito nomine cum deprecaretur, ut lumen reciperet, audivit ab eo: „Perge Mediolanum et occurre fratribus meis, qui illo venturi sunt, (designans diem) et recipies lumen.“ Erat enim vir, ut ipse asserebat, de litore

dalmatino nec se ante venisse in civitatem asserebat, priusquam recto itinere reliquiis sanctorum occurrisset, nondum videns; sed tacto loculo videre coepisse.

CAPUT XI.

Deus memoriam s. Episcopi adversus detrahentes tuetur. Exhortatio ad ejus imitationem. Auctoris epilogus.

53. His itaque decursis non arbitror grave videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, ut Domini dictum, quod per os sanctorum prophetarum loquutus est, completum esse doceamus: *Sedentem adversus fratrem suum et detrahentem occulte persequebar* (Ps. 100, 5); et alibi: *Noli diligere detrahere, ne eradicemini* (Proverb. 20, 13); ut quicunque forte hujusmodi captus est consuetudine, cum legerit, qualiter in iis, qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur.

54. Igitur Donatus quidam natione afer, presbyter tamen ecclesiae mediolanensis, cum in convivio positus, in quo erant nonnulli militares viri religiosi, detraheret memoriae sacerdotis, aspernantibus illis et deserentibus linguam nequam, subito vul-

nere percussus gravi de eodem loco, in quo jacebat, alienis manibus sublatus, in lectulum positus est atque inde ad sepulcrum usque perductus. In urbe etiam carthaginensi cum apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi ad convivium convenissem una cum Vincentio colossitano episcopo, Murano etiam episcopo bolitano, sed et aliis episcopis et diaconibus: tunc Murano episcopo detrahenti sancto viro retuli exitum presbyteri superius memorati; quod ille de alio dictum de se oraculum maturo sui exitu comprobavit. Nam de eodem loco, in quo jacebat, cum subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum usque portatus est atque inde ad domum, in qua hospitabatur, deductus diem clausit extremum. Is finis virorum illi detrahentium fuit, quem videntes qui tunc aderant, admirati sunt.

55. Unde hortor et obsecro omnem hominem, qui hunc librum legerit, ut imitetur vitam sancti viri, laudet Dei gratiam et declinet detrahentium linguas, si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitae, quam cum detrahentibus illis subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat.

56. Tuam etiam precor beatitudinem, pater Augustine, ut pro me humillimo peccatore Paulino cum omnibus sanctis, qui tecum invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in veritate, orare digneris, ut quia in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi praemium fugisse supplicium.

S. AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE MYSTERIIS

LIBER UNUS[1].

CAPUT I.

Tractatibus, quos ante de moribus Sanctus habuerat, subjecturum se mysteriorum expositionem spondet. Deinde cur ea non prius patefecerit, declarato, mysticam aggreditur apertionem, quam a Christo ipso olim celebratam demonstrat.

1. De moralibus quotidianum sermonem habuimus, cum vel patriarcharum gesta, vel proverbiorum legerentur praecepta; ut his

[1]) Qualis quantusque fuerit s. Ambrosius patet ex ejusdem vita praemissa atque ex dictis op. t. 5. p. 1. s. Scripsit autem insigne hoc opusculum c. a. 387. Recentiorum heterodoxorum quidam illud ex argumentis levissimis iisque mere dogmaticis in dubium vocarunt, sed immerito cum interna maxime indicia s. Ambrosium auctorem prodant, codices mss. omnes eundem auctorem prae se ferant et externa testimonia, sequioris licet aetatis, idem confirment. Cf. Fessler

informati atque instituti assuesceretis majorum ingredi vias eorumque iter carpere, ac divinis obedire oraculis; quo renovati per baptismum, ejus vitae usum teneretis, quae ablutos deceret.

2. Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse aestimaremur. Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis praecucurrisset.

3. Aperite igitur aures, et bonum odorem vitae aeternae inhalatum vobis munere sacramentorum carpite: quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium [1]) diceremus: *Ephphetá, quod est*

---

institut. patrol. §. 182. Porro hujus libri inscriptio alibi alia invenitur, ut *de mysteriis initiandis, de iis qui mysteriis initiantur, de initiandis, de divinis mysteriis* aut simpliciter *de mysteriis*, quam inscriptionem cum editoribus maurinis (quorum et editionem sequimur) retinuimus. Plura autem quae ad baptismi illustrationem pertinent cf. infra in annot. ad Tertulliani opusculum de baptismo.

[1]) Apertionis mysterium, de quo hic loquitur s. Doctor, respondet illi ritui, quem ita describit *rituale romanum* Pauli V. jussu editum: „Antequam

adaparire (Marc. 7, 34); ut venturus unusquisque ad gratiam quid interrogaretur, cognosceret: quid responderet, meminisse deberet.

4. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret et surdum. Sed ille os tetigit; quia et mutum curabat et virum: in altero, ut os ejus infusae sono vocis aperiret; in altero, quia tactus iste virum decebat, feminam non decebat.

CAPUT II.

Quid initiandi Ecclesiam ingressi promiserint, quibusve coram testibus, et quamobrem se converterint ad Orientem?

5. Post haec reserata tibi sunt sancta sanctorum, ingressus es regenerationis sa-

accedat (sacerdos baptismi minister) ad baptisterium, dicat: *Exorcizo te spiritus immunde in nomine Dei Patris omnipotentis* etc. Postea sacerdos digito accipiat de saliva oris sui et tangat aures et nares infantis; tangendo vero aurem dexteram et sinistram dicat: *Ephpheta, quod est adaperire:* deinde tangat nares dicens: *In odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.*" De cujus ritus vetustate, universalitate, significatione etc. cf. praeter alios fuse disserentem cl. Trombelli de sacramentis l. 2. diss. 6. sect. 7.

crarium: repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriae ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.

6. Vidisti illic levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Praesentibus angelis locutus es, sicut scriptum est: *Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ipsius; quoniam angelus est Domini omnipotentis* (Malach. 2, 7). Non est fallere, non est negare: angelus est qui regnum Christi et vitam aeternam annunciat. Non specie tibi aestimandus sit, sed munere. Quid tradiderit considera, usum ejus expende, et statum ejus agnosce.

7. Ingressus es igitur ut adversarium tuum cerneres cui renunciandum in os putaris [1]): ad orientem converteris, qui enim renunciat diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.

---

[1]) Hanc editores maurini hic subjiciunt annotationem: „Omnes edit., *cui renunciandum mox putares*. Omnes mss., *cui renunciandum in os*, quidam, *putares*, plures, *putaris*, unus etiam, *sputaris*. *In os* autem *renunciare* idem est ac palam et aperte.

CAPUT III.

In aqua et sacris ministris praesentiam atque operationem divinitatis considerandam esse, pluribus figuris quibus baptisma jam inde a mundi creatione ac postea praenunciatum est, docet.

8. Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas: levitas illic ministrantes, summum sacerdotem interrogantem et consecrantem. Primo omnium docuit te Apostolus non ea contemplanda nobis *quae videntur, sed quae non videntur*: *quoniam quae videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna* (2. Cor. 4. 18). *Nam et alibi habes: Quia invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt comprehenduntur: sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas operibus aestimatur* (Rom. 1, 20). Unde et ipse Dominus ait: *Si mihi non creditis,*

Sic *εἰς πρόσωπον* sumitur in Didymo et scholiis graecis pro *φανερῶς*. Sumitur etiam in aliis scholiis pro *ἀναισχύντως* impudenter: quo fortesensu Job. 1, 11, invenitur. Nec etiam nimium displicet quod habetur in cod. reg., *sputaris*, hoc est, os tibi sputo illinitur. Sed tunc membra sic essent distinguenda, *cui renunciandum. In os sputaris* etc. Discimus autem ex hoc loco moris fuisse, ut qui diabolo renunciabant, in occidentem obverterentur, quandoquidem postea ut Christum aspiciat, convertitur in orientem.“

vel operibus credite (Joan. 10, 38). Crede ergo divinitatis illic adesse praesentiam. Operationem credis, non credis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi praecederet ante praesentia?

9. Considera autem quam vetus mysterium sit in ipsius mundi praefiguratum origine. In principio ipso, quando fecit Deus coelum et terram, *Spiritus*, inquit, *superferebatur super aquas* (Gen. 1, 2). Qui superferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Sed quid dicam, operabatur? quod ad praesentiam spectat, superferebatur. Non operabatur, qui superferebatur? Cognosce quia operabatur in illa mundi fabrica, quando tibi dicit propheta: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. 32, 6). Utrumque prophetico subnixum est testimonio, et quia superferebatur, et quia operabatur. Quia superferebatur, Moyses dicit; quia operabatur, David testificatur.

10. Accipe aliud testimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus suis. *Non permanebit*, inquit Deus, *Spiritus meus in hominibus, quia carnes sunt* (Gen. 6, 3). Quo ostendit Deus, quia carnali immunditia et gravioris labe peccati gratia spiritalis

avertitur. Unde volens Deus reparare quod deerat, diluvium fecit. et justum Noë in arcam jussit ascendere (Ib. 7, 1, ss). Qui dum, decedente diluvio, corvum dimisisset prius, qui non revertit; dimisit columbam, quae cum ramo oleae legitur revertisse. Vides aquam, vides lignum, columbam aspicis, et dubitas de mysterio?

11. Aqua est ergo qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum. Sepelitur illic omne flagitium. Lignum est in quo suffixus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. Columba est in cujus specie descendit Spiritus sanctus, sicut didicisti in novo testamento, qui tibi pacem animae, tranquillitatem mentis inspirat. Corvus est figura peccati, quod exit, et non revertitur; si in te quoque justi custodia et forma servetur.

12. Tertium quoque testimonium est, sicut te Apostolus docet: *Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari* (1. Cor. 10, 1, 2). Denique et ipse Moyses dicit in cantico: *Misisti Spiritum tuum, et operuit eos mare* (Exod. 15, 10). Advertis quod in illo hebraeorum transitu jam tunc sacri baptismatis figura praecesserit, in quo aegyptius

interiit, et hebraeus evasit. Quid enim aliud in hoc quotidie sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur, et error aboletur: pietas autem et innocentia tuta permansit?

13. Audis quia sub nube fuerunt patres nostri, et bona nube, quae carnalium refrigeravit incendia passionum. Bona nubes obumbrat quos revisit Spiritus sanctus. Denique supervenit in Mariam virginem, et virtus Altissimi obumbravit ei (Luc. 1, 35), quando redemptionem genti genuit humanae. Et illud miraculum per Moysen in figura factum est (Exod. 14, 21, et seq.) Si ergo in figura affuit Spiritus, non adest in veritate, cum Scriptura tibi dicat: *Quia lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (Joan. 1, 17).

14. Merrha fons amarissimus erat: misit in eum Moyses lignum, et dulcis est factus (Exod. 15, 23, ss). Aqua enim sine praedicatione dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est [1]): cum vero salutaris

[1]) „Videbitur forte cuipiam, animadvertunt edit. maur. h. in l., in ea sententia hic esse Ambrosius, ut aquam nisi prius oratione sanctificata sit, baptismo penitus inhabilem existimarit. Sed observandum non hic agi de jure, ut ajunt, ac validitate: at solum referri consuetudinem et illi veterem figuram accommodari."

fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est, propheta; ita et in hunc fontem sacerdos praedicationem dominicae crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam.

15. Non ergo solis corporis tui credas oculis: magis videtur quod non videtur; quia istud temporale, illud aeternum aspicitur, quod oculis non comprehenditur, animo autem ac mente cernitur.

16. Denique doceat te decursa regnorum lectio. Naaman syrus erat et lepram habebat, nec ab ullo mundari poterat. Tunc ait puella ex captivis, quoniam esset propheta in Israël, qui posset eum a leprae contagione mundare. Sumpto, inquit, auro et argento, perrexit ad regem Israel. Qui cognita adventus ejus causa, scidit vestimenta sua, dicens quod tentaretur magis, cum de se ea quae non essent potestatis regiae, poscerentur: Eliseus autem regi intimavit, ut ad se dirigeret syrum, quo cognosceret, quod esset Deus in Israël. Et cum venisset, mandavit ei, ut septies mergeretur in Jordane fluvio.

17. Tunc ille secum tractare coepit, quod meliores aquas haberet patriae suae, in qui-

bus se saepe mersisset, et nunquam a lepra esset ablutus; eoque revocatus non obediebat mandatis prophetae: sed et admonitu et persuasionibus servulorum acquievit ac mersit. Mundatusque illico intellexit, non aquarum esse quod unusquisque mundatur, sed gratiae (4. Reg. 5, 1 ss).

18. Cognosce nunc quae sit illa puella ex captivis junior, scilicet ex gentibus congregatio, id est, Ecclesia Domini depressa ante captivitate peccati, quando libertatem adhuc gratiae non habebat; cujus consilio vanus ille populus nationum verbum audivit propheticum, de quo ante diu dubitavit; postea tamen ubi credidit exsequendum, ablutus est ab omni contagione vitiorum. Et ille quidem dubitavit, antequam sanaretur: tu jam sanatus es, et ideo dubitare non debes.

CAPUT IV.

Aquam non mundare sine Spiritu, Joannis testimonio et ipsis quibus idem sacramentum administratur, verbis declaratur. Quod etiam asseritur significatum per evangelicam piscinam, et paralyticum a Domino ibi sanatum: quo loco Spiritus sanctus in ejusdem Christi baptismo vere descendisse ostenditur, et quid in hoc mysterio intelligendum?

19. Ideo tibi ante praedictum est, ut non hoc solum crederes quod videbas; ne forte

et tu diceres: Hoc est illud magnum mysterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (1. Cor. 2, 9)? Aquas video, quas videbam quotidie: istae me habent mundare, in quas saepe descendi, et nunquam mundatus sum? Hinc cognosce quod aqua non mundat sine Spiritu.

20. Ideoque legisti quod tres testes in baptismate unum sunt, aqua, sanguis et Spiritus (1. Joan. 5, 7); quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (Joan. 3, 5). Credit autem etiam catechumenus in crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire.

21. Ergo ille syrus septies mersit in lege (4 Reg. 5, 14): tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, recordare quid feceris, confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum. Tene ordinem

rerum in hac fide: mundo mortuus es et Deo resurrexisti. Et quasi in illo mundi consepultus elemento, peccato mortuus, ad vitam es resuscitatus aeternam. Crede ergo quia non sunt vacuae aquae.

22. Ideo tibi dictum est: *Quia angelus Domini descendebat secundum tempus in natatoriam, et movebatur aqua; et qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aquae, sanus fiebat a languore quocunque tenebatur* (Joan. 5, 4). Haec piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabatur: sed nemo ante sanabatur, quam descendisset angelus. Ut esset indicium quia descenderat angelus, movebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides: illis angelus descendebat, tibi Spiritus sanctus: illis creatura movebatur, tibi Christus operatur ipse Dominus creaturae.

23. Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur: aut certe unus solus populus christianus; est enim in aliquibus et aqua mendax (Jerem. 15, 18). Non sanat baptismus perfidorum [1]), non mundat, sed polluit; judaeus urceos baptizat et calices, quasi in-

---

[1]) *Perfidorum* nomine non intelligit s. Doctor peccatores catholicos vel haereticos, sed judaeos aut

sensibilia vel culpam possint recipere vel gratiam (Marc. 7, 4). Tu baptiza hunc calicem tuum sensibilem, in quo bona opera tua luceant, in quo gratiae tuae splendor fulgeat. Ergo et illa piscina in figura, ut credas quia in hunc fontem vis divina descendit.

24. Denique paralyticus ille exspectabat hominem (Joan. 5, 7). Quem illum, nisi Dominum Jesum natum ex Virgine: cujus adventu non jam umbra sanaret singulos, sed veritas universos? Iste est ergo qui exspectabatur ut descenderet, de quo dixit Deus Pater ad Joannem Baptistam: *Super quem videris Spiritum descendentem de coelo, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (Ibid. 1, 33). De quo testificatus est Joannes dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem de coelo quasi columbam et manentem super eum* (Ibid. 32).

---

gentiles ut tum orationis series tum collatio suadet cum hisce auctoris de sacr. l. 2. c. 1. n. 2: „Multa sunt genera baptismatum, sed *unum baptisma*, clamat Apostolus (Eph. 4, 5). Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata; lavacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lavatur, non culpa diluitur: imo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptismata judaeorum, alia superflua, alia in figura. Et figura nobis ipsa proficit, quia veritatis est nuncia."

Et hic quare Spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres columbam etiam illam, quam Noë justus emisit ex arca, istius columbae speciem fuisse, ut typum agnosceres sacramenti?

25. Et fortasse dicas: Cum illa vera columba fuerit quae emissa est, hic quasi columba descenderit: quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem; cum secundum graecos in specie columbae Spiritum descendisse sit scriptum (Luc. 3, 22)? Sed quid tam verum quam Divinitas, quae manet semper? Creatura autem non potest veritas esse, sed species, quae facile solvitur atque mutatur. Simul quia eorum qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Unde et Dominus ait: *Estote astuti sicut serpentes, et simplices sicut columbae* (Matth. 10, 16). Merito ergo sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitatem columbae habere debere. Speciem autem et pro veritate accipiendam legimus et de Christo: *Et specie inventus ut homo* (Philip. 2, 7); et de Patre Deo: *Neque speciem ejus vidistis* (Joan. 5, 37).

CAPUT V.

Confirmatur adesse Christum in baptismate, atque adeo non considerandos ejus ministros. Demum confessio Trinitatis a baptizatis edi solita paucis expenditur.

26. Est ne adhuc quod dubitare debeas, cum evidenter tibi clamet in Evangelio Pater, qui ait: *Hic est Filius meus in quo complacui* (Matth. 3, 17)? clamet Filius, super quem sicut columba se demonstravit Spiritus sanctus? clamet et Spiritus sanctus, qui sicut columba descendit? clamet David: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas* (Psal. 28, 3)? Cum tibi Scriptura testetur, quod ad Hierobaal preces ignis descenderit de coelo (Judic. 6, 21), et rursus precante Elia (3. Reg. 18, 38), ignis sit missus qui sacrificium consecravit.

27. Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum. Et si merita spectes, sicut Eliam consideres: Petri quoque merita spectato vel Pauli, qui acceptum a Domino Jesu hoc nobis mysterium tradiderunt [1]).

[1]) Locus sat obscurus; sensus tamen hic esse videtur: In sacramentorum administratione non me-

Ignis illis visibilis mittebatur, ut crederent: nobis invisibilis operatur, qui credimus: illis ad figuram, nobis ad commonitionem. Crede ergo adesse Dominum Jesum invocatum precibus sacerdotum, qui ait: *Ubi fuerint duo vel tres, ibi et ego sum* (Matth. 18, 20); quanto magis ubi est Ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire praesentiam?

28. Descendisti igitur, recordare quid responderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum sanctum. Non habes illic: Credo in majorem et minorem et ultimum: sed eadem vocis tuae cautione constringeris, ut similiter credas in Filium, sicut in Patrem credis: similiter in Spiritum sanctum credas, sicut credis in Filium; hoc solo excepto, quod in crucem solius Domini Jesu fateris tibi esse credendum.

---

rita ministrorum, sed potestatem considera sacerdotalem a meritis personalibus independentem. Et si merita spectes, sacerdotem considera ut Eliam, qui suis quidem precibus igni virtutem vimque nullam impetravit, effecit tamen ut ignis de coelo descenderet consecraretque sacrificium. Ita et apostoli, ita et eorum successores sacerdotes sacramentis efficaciam conferunt nullam, precibus tamen suis sacerdotalibus, invocatione sua ministeriali efficiunt, ut adsit Jesus, sacramentorum minister princeps, qui invisibiliter operans per sacramenta homines mundat et sanctificat.

CAPUT VI.

Egressis e fonte baptismatis quare unctio fiat in capite: cur etiam pedum lotio post baptismum; quaeve peccata utrisque remittantur?

29. Post haec utique ascendisti ad sacerdotem: considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* (Psalm. 132, 2)? Hoc est unguentum, de quo et Salomon ait: *Unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulae dilexerunt te, et attraxerunt te* (Cant. 1, 2). Quantae hodie renovatae animae dilexerunt te, Domine Jesu, dicentes: *Attrahe nos post te, in odorem vestimentorum tuorum currimus* (Ibid. 3); ut odorem resurrectionis haurirent?

30. Quare hoc fiat intellige, quia *oculi sapientis in capite ejus* (Eccle. 2, 14). Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam juventutis; ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, sacerdotale, pretiosum; omnes enim in regnum Dei et in sacerdotium ungimur gratia spiritali.

31. Ascendisti de fonte, memento evangelicae lectionis. Etenim Dominus noster

Jesus in Evangelio lavit pedes discipulis suis. Quando venit ad Simonem Petrum ait Petrus: *Non lavas mihi pedes in aeternum* (Joan. 13, 8); non advertit mysterium, et ideo ministerium recusavit; quod gravari humilitatem servi crederet, si sibi obsequium Domini patienter admitteret. Cui respondit Dominus: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quo audito Petrus: *Domine, non tantum pedes,* inquit, *sed et manus et caput.* Respondit Dominus: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet: sed est mundus totus* (Ibid. 9, 10).

32. Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens, et persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur [1]).

---

[1]) Hic locus, ita edit. maur., jam a longo negotium plurimis facessivit. Etenim in margine cod. clarom. eadem qua textus manu notatum illud occurrit: *Mirum quod dicit in baptismo propria peccata lavari, in pedum ablutione a Domino discipulis facta originalia peccata tolli* Non alio etiam respiciebat Hugo Victor, cum in Joan. 13 scriberet, aliquos *lotione pedum peccatum originale dimitti post baptismum* asseruisse. At multo vehementius

33. Simul cognosce mysterium in ipso humilitatis consistere ministerio; ait enim:

nonnulli ex heterodoxis in eam sententiam excandescentes, ob eam praecipue librum Ambrosio abjudicarunt. Verum tamen illis in mentem non veniebat duorum locorum, in quibus huic plane gemina docet s. doctor. Primum qui e deperditis in Isaiam comment. petitus fuit, Augustinus l. 4. c. duos ep. pelag. c. 11. citat in haec verba: „Et alio loco in eodem op. loquens de apostolo Petro: Ipse se, inquit, obtulit, quod ante putabat esse peccatum, lavari sibi non solum pedes et caput poscens, quod illico intellexisset lavacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiae successionis aboleri.“ Secundus autem locus, qui ab eodem Augustino laudatur adversus Julianum, in expos. ps. 48. v. 6. n. 8. sic habetur: „Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus et obnoxiam hereditatem successionis humanae suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. Unde Dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis: et Petrus reprehenditur, quod excusabat, ne sibi Dominus pedes lavaret . . . Cui Dominus respondet: *Qui lotus est non habet necesse ut lavet nisi pedes, sed est mundus totus.*“ Quid hic tribus reperiri possit magis affine? Quamquam vero iisdem ad probandum peccatum originale utitur ibidem Augustinus, non est tamen existimandum, ambrosianam fuisse opinionem noxam originalem ejusmodi lotione aboleri. Quis enim credat Augustinum suis et Ecclesiae adversariis testimonia, quae a fide ac a veritate abhorreant, oppositurum, maxime cum eadem illa caeremonia in Africa non obtineret? Aut quis rur-

Si ego lavi vobis pedes dominus et magister; quanto magis et vos debetis lavare

---

sus Ambrosium, qui utique baptismo perfectam justitiam regenerationemque attribuit, et hoc ipso loco sicut et aliis non paucis agnoscit Petrum fuisse mundum, existimet in ea sententia esse potuisse, ut originis maculam pedum lotione, quam non ignorabat omitti in multis ecclesiis, ablui contenderet? Sed nihil hic opus est conjecturis, ipse mentem suam satis aperit citata expos. in ps. 48. n. 9. in hunc modum: „Unde reor, inquit, iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoque Dominus . . . Lavemus, inquit, et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum; et ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: et non metuat lubricum hereditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.“ Quid autem clarius, quam per *lubricum delinquendi, lubricum calcanei, lubricum hereditatis*, nihil aliud indicari, quam concupiscentiam? quae tametsi vere ac proprie in renatis non sit peccatum, tamen quia ex peccato est et ad peccatum inclinat, dicitur peccatum ab Apostolo. Ut igitur haec *hereditaria peccata*, sive illud quod Petrus habebat *primi hominis de successione peccatum* tolleretur, in pedum lotione peculiarem gratiam conferri existimabat Ambrosius: quod *majus subsidium sanctificationis* vocat fidus ejus interpres, si tamen non Ambrosius ipse, l. 3. de sacram. c. 1. n. 7. Non ignoramus quosdam e catholicis esse theologis, qui peccata ista levia, quae naturalia nominat Augustinus, hereditaria ab Ambrosio dici arbitrentur. Sed cum venialia peccata non minus quam capitalia in baptismo

pedes invicem vobis (Joan. 13, 14)? Cum enim ipse auctor salutis per obedientiam nos redemerit; quanto magis nos servuli ejus humilitatis et obedientiae exhibere debemus obsequium?

CAPUT VII.

Vestimentis candidis peccatorum ablutionem indicari, cujus opera ut Ecclesia se nigram atque decoram diceret, effectum est. Angelos nitorem ejus sicut et dominicae carnis miratos esse; quid imo ipsummet Christum sub variis figuris commendasse sponsae suae formam: quorum in se mutui affectus describuntur.

34. Accepisti post haec vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiae casta velamina, de quibus dixit propheta: *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor* (Psal. 50, 9). Qui enim baptizatur, et secundum legem et secundum Evangelium videtur esse mundatus: secundum legem, quia hyssopi fasciculo Moyses aspergebat sanguinem agni (Exod. 12,

---

ablui fides doceat, omnino standum illi expositioni, quam ipse suppeditat s. doctor. Hactenus eruditi editores.

22): secundum Evangelium, quia Christi erant candida vestimenta sicut nix, cum resurrectionis suae gloriam in Evangelio demonstraret. Super nivem ergo dealbatur, cui culpa dimittitur. Unde et per Isaiam Dominus ait: *Si fuerint peccata vestra sicut phoenicium, ut nivem dealbabo* (Isai. 1, 18).

35. Haec vestimenta habens Ecclesia per lavacrum regenerationis assumpta, dicit in canticis: *Nigra sum et decora, filiae Hierusalem* (Cant. 1, 4). Nigra per fragilitatem conditionis humanae, decora per gratiam: nigra, quia ex peccatoribus; decora fidei sacramento. Haec vestimenta cernentes filiae Hierusalem stupefactae dicunt: *Quae est haec quae ascendit dealbata* (Cant. 8, 5)? Haec erat nigra, unde nunc subito dealbata!

36. Dubitaverunt etiam angeli cum resurgeret Christus, dubitaverunt potestates coelorum videntes quod caro in coelum ascenderet. Denique dicebant: *Quis est iste Rex gloriae?* Et cum alii dicerent: *Tollite portas principes vestri, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae;* alii dubitabant dicentes: *Quis est iste Rex gloriae* (Psal. 23, 8, 9)? In Isaia quoque habes dubitantes virtutes coelorum dixisse: *Quis est iste qui ascendit ex Edom, rubor vestimen-*

torum ejus ex Bosor, speciosus in stola candida (Isai 63, 1).

37. Christus autem videns Ecclesiam suam in vestimentis candidis, pro qua ipse, ut habes in Zachariae libro prophetae, sordida vestimenta susceperat (Zach. 3, 3), vel animam regenerationis lavacro mundam atque ablutam, dicit: *Ecce formosa es, proxima mea, ecce es formosa; oculi tui sicut columbae* (Cant. 4, 1); in cujus specie Spiritus sanctus descendit de coelo. Formosi oculi sicut columbae; quia in ejus specie Spiritus sanctus descendit de coelo.

38. Et infra: *Dentes tui sicut grex tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, quae omnes geminos creant, et infecunda non est in eis; ut resticula coccinea labia tua* (Cant. 4, 2, 3). Non mediocris ista laudatio. Primum dulci comparatione tonsarum; capras enim et in altis pasci sine periculo novimus, et in praeruptis securas cibum capere: deinde cum tondentur, deonerari superfluis. Harum gregi comparatur Ecclesia, multas in se habens animarum virtutes, quae per lavacrum superflua peccata deponant, quae mysticam fidem et moralem gratiam deferant Christo, quae crucem Domini Jesu loquantur.

39. In iis formosa est Ecclesia. Unde ad eam Verbum Deus dicit: *Tota formosa es, proxima mea; et reprehensio non est in te;* quia culpa demersa est. *Ades huc a Libano, sponsa, ades huc a Libano: transibis, et pertransibis a principio fidei* (Cant. 4, 7, 8); eo quod renuncians mundo transierit seculum, pertransierit ad Christum. Et iterum dicit ad eam Deus Verbum: *Quid pulchra et suavis facta es caritas in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmae, et ubera tua botris* (Ib. 7, 6, 7).

40. Cui respondet Ecclesia: *Quis dabit te, frater, mihi lactentem ubera matris meae? Inveniens te foris, osculabor te: et quidem non spernent me. Assumam te, et inducam te in domum matris meae: et in secretum ejus quae concepit me. Docebis me* (Ib. 8, 1, 2). Vides quemadmodum delectata munere gratiarum, ad interiora cupit mysteria pervenire, et omnes sensus suos consecrare Christo! Adhuc quaerit, adhuc suscitat caritatem, et suscitari sibi eam poscit a filiabus Hierusalem, quarum gratia, hoc est, animarum fidelium, sponsum in amorem sui uberiorem desiderat provocari.

41. Unde Dominus Jesus et ipse invitatus tantae studio caritatis, pulchritudine de-

coris et gratiae, quod nulla jam in ablutis delicta sorderent, dicit ad Ecclesiam: *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum* (Ibid. 6); hoc est, decora es, proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. *Pone me ut signaculum in cor tuum*; quo fides tua pleno fulgeat sacramento. Opera quoque tua luceant, et imaginem Dei praeferant, ad cujus imaginem facta es. Caritas tua nulla persecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina undare non possint.

42. Unde repete quia accepisti signaculum spiritale [1]), spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris (Isai. 11, 2)): et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus; et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis (2. Cor. 5. 2), sicut apostolica lectione didicisti.

---

[1]) Strictim hic attingit sacramentum confirmationis, de quo plura cf. infra apud Cyrillum cat. myst. 3; Tertullianum de bapt. c. 8; et apud auctorem op. de sacr. l. 3. n. 8.

CAPUT VIII.

De mystico dominici altaris convivio: quod ne quispiam minoris faciat, ostenditur synagogae sacris antiquius esse; cum in sacrificio Melchisedech expressum fuerit: ipso autem manna longe praestantius, cum sit corpus Christi; ac inter utrumque perelegans comparatio instituitur.

43. His abluta plebs dives insignibus, ad Christi contendit altaria [1]), dicens: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam* (Psal. 42, 4); depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilae juventute, coeleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum, exclamans, ait: *Parasti in conspectu meo mensam.* Hanc loquentem inducit David dicens: *Dominus pascit me, et nihil mihi*

---

[1]) His indicatur neophytorum a baptisterio ad altare, id est, ab infima ecclesiae parte ad sanctuarium processus, ut ibi sancta pascerentur eucharistia. Hoc autem non fiebat sine pia quadam pompa et plena majestatis. Singuli enim accensos cereos manu gerebant; cumque per totam octavam eodem ornatu accederent ad sacram synaxim, si quae puellae virginitatem in paschatis festo essent professae, ipsae etiam inter hos innocentes greges deducebantur. Ita editores maurini.

deerit: in loco pascue ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me. Et infra: *Nam etsi ambulem in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et poculum tuum inebrians quam praeclarum est.* (Psal. 22, 1—5).

44. Nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns (quoniam quae sunt invisibilia, non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi) dicat forte: Judaeis Deus manna pluit, pluit coturnices (Exod. 16, 13): Ecclesiae autem illi dilectae haec sunt quae praeparavit; de quibus dictum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus eum* (1 Cor. 2, 9)? Ergo ne quis hoc dicat, summo studio volumus comprobare quod et antiquiora sunt sacramenta Ecclesiae quam synagogae, et praestantiora quam manna est.

45. Antiquiora docet lectio Genesis quae decursa est [1]); synagoga enim ex lege Moysi

[1]) *Decursa* i. e. praelecta.

principium sumpsit: Abraham vero longe anterior, qui victis hostibus, et nepote proprio recepto, cum potiretur victoria, tunc illi occurrit Melchisedech, et protulit ea, quae Abraham veneratus accepit. Non Abraham protulit, sed Melchisedech; qui inducitur sine patre, sine matre, neque initium dierum, neque finem habens, similis autem Filio Dei: de quo ait Paulus ad hebraeos: *Quia manet sacerdos in perpetuum* (Hebr. 7, 1 ss); qui interpretatione latina dicitur rex justitiae, rex pacis.

46. Non agnoscis quis iste sit? Potest homo esse rex justitiae, cum ipse vix justus sit? Potest esse rex pacis, cum vix possit esse pacificus? Sine matre secundum divinitatem; quia ex Patre Deo genitus est, unius substantiae cum Patre: sine patre secundum incarnationem, qui natus ex Virgine est: initium et finem non habens, quia ipse est initium et finis omnium, primus et novissimus. Non igitur humani, sed divini est muneris sacramentum quod accepisti, ab eo prolatum qui benedixit fidei patrem Abraham, illum cujus gratiam et gesta miraris.

47. Probatum est antiquiora esse Ecclesiae sacramenta, nunc cognosce potiora. Revera mirabile est quod manna Deus pluerit

patribus, et quotidiano coeli pascebantur alimento. Unde dictum est: *Panem angelorum manducavit homo* (Ps. 77, 25). Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt: ista autem esca quam accipis, iste panis vivus qui descendit de coelo, vitae aeternae substantiam subministrat; et quicunque hunc manducaverit, non morietur in aeternum: et est corpus Christi.

48. Considera nunc utrum praestantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e coelo, hoc supra coelum: illud coeli, hoc Domini coelorum: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in aeternum. Judaeus bibit, et sitit: tu cum biberis, sitire non poteris: et illud in umbra, hoc in veritate.

49. Si illud quod miraris, umbra est; quantum istud est, cujus et umbram miraris [1])? Audi quia umbra est quae apud pa-

[1]) Passim Patres praestantiam extollunt eucharistae prae illius figuris, cujusmodi ex eorum sententia erant

tres facta est: *Bibebant*, inquit, *de consequenti eos petra: petra autem erat Chri-*

---

manna, panes propositionis, agnus paschalis, sanguis quo confirmatum fuit vetus testamentum (Ex. 24, 8), oblatio panis et vini, cujus sacerdos fuit Melchisedech (Gen. 14, 18) etc. Ita Salvianus adv. avaritia l. 2. n. 6): „Judaei habebant quondam umbram rerum, nos veritatem; judaei fuerunt servi, nos adoptivi . . . Judaeis servus magister missus est, nobis Filius; judaei per mare transierunt ad eremum, nos per baptisma introimus in regnum; judaei manna manducaverunt, nos Christum; judaei carnes avium, nos corpus Dei; judaei pruinam coeli, nos Deum coeli.“ Ita Gaudentius s. 2. de Exodi lectione: „In umbra illius legalis paschae non unus agnus occidebatur, sed plures; singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas dominicae passionis. Figura etenim non est veritas, sed imitatio veritatis . . . Ergo in hac veritate qua sumus, unus pro omnibus mortuus est et idem per singulas ecclesiarum domos, in mysterio panis ac vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Haec agni caro, hic sanguis est. Panis enim qui de coelo descendit, ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro seculi vita* (Joan. 6, 52.)“ Ita Chrysostomus passim, ut hom. 46. al. 45. in Joan. n. 3; hom. 23, 24 in 1. Cor.; in ps. 133; nominatim vero hom. 1 de prodit. Judae (Mig. patrol. gr. 49, 379 s.) n. 4: „Ille quippe agnus (paschalis Ex. 12), figura erat alterius agni spiritualis et ovis ovem praenotabat. Atque illud quidem umbra, hoc

stus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo; nam prostrati sunt in de-

---

veritas erat. Cum apparuisset sol justitiae, umbra cessavit, oriente quippe sole solvitur umbra. Ideo in eadem ipsa mensa utrumque pascha perficitur et typi et veritatis. Quemadmodum enim pictores in eadem ipsa tabula et lineas circumducunt et umbram depingunt tuncque colorum veritatem apponunt, sic et Christus fecit: in eadem ipsa mensa typicum pascha descripsit et verum addidit . . . Erat olim pascha judaicum, sed nunc solutum est advenitque spirituale pascha, quod nunc tradidit Christus. Illis enim manducantibus ac bibentibus, inquit, accipiens panem fregit et dixit: *Hoc est corpus meum etc.* (Matth. 26, 26). Aderat Judas haec Christo dicente. Hoc est corpus, quod vendidisti, Juda triginta argenteis; hic est sanguis, pro quo nuper pacta impudenter inibas cum improbis pharisaeis. O Christi benignitatem! o Judae dementiam et insaniam! Ille namque vendidit illum triginta denariis, Christus vero postea non recusavit hunc ipsum sanguinem venditum vendenti dare in remissionem peccatorum, siquidem voluisset. Aderat Judas et sacrae mensae particeps erat." Ab hisce non dissentit Hieronymus l. 4. in Matth. 26, 26 scribens: „Postquam typicum pascha fuerat impletum et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis et ad verum paschae transgreditur sacramentum, ut quomodo in praefiguratione ejus Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repraesentaret." Et in ep. ad Tit. 1, 8 s. „Tantum interest inter propositionis panes et corpus Christi, quantum inter

serto (1. Cor. 10, 4). Haec autem in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; potior

---

umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa, quae per exemplaria praefigurabantur." Omissis vero quae habent Augustinus de civ. Dei l. 17. c. 20; ennar. in Ps. 39; Leo M. s. 7. de pass. Dom.; Theodoretus in 1. Cor. 11, 23 ss., audiantur praeclarissima Cyrilli alex. verba (l. 4. c. Nest. c. 5): „Conservabant ipsae figurae eos, qui ante nos fuerunt (Ex. 12, 23). Quanto igitur res nostrae sunt excellentiores, quibus ipsa veritas i. e. Christus illuxit sanctamque suam carnem ad participandum apposuit? Quomodo id non sit omnibus perspicuum? Multo namque sunt procul dubio praestantiores ac superiores. Atque hujus mysterii vim ut declararet D. N. J. Christus, ait: *Amen dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam etc.* (Joan. 6, 47—52). Nam quia ex genere Israel nati de mannae suppeditatione Moysen admirabantur, quod cum per desertum ejus temporis hominibus demissum fuisset, typum gessit mysticae benedictionis: umbra namque erat lex, ideo prudenter admodum D. N. J. Christus typum extenuat, ut ad veritatem transferat. Neque enim, inquit, ille fuit panis vitae, sed ego potius, qui de coelo sum, et omnia vivifico et me in manducantes etiam per unitam mihi carnem insero." Quod cum probasset verbis Joan. 6, 54—58 subjicit: „Vide igitur quemadmodum in nobis manet et corruptionis victores efficit, dum se in nostra demitit corpora, ut dixi, etiam per suam carnem, quae verus est cibus, cum illa legalis umbra et cultus per ipsam institutus non habeat veritatem." Ex tanta autem eucharistiae prae suis

est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de coelo.

CAPUT IX.

Ne quis externa peregrinus species in fide fluctuet, plurimis exemplis, quibus mutatam aut victam fuisse naturam constat, in medium allatis, e pane veram Christi carnem fieri evincit. Postremo nonnullis quae ad effectus ejus, mentium dispositiones ac similia pertinent, figurate propositis, tractatum claudit.

50. Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus acci-

---

figuris praestantia ipsum adesse corpus Christi in illa evidenter colligitur. Si enim panis eucharisticus non secus ac manna figura est corporis Christi et quidem absentis, tantum abest ut ille sicut corpus umbram hanc praecelat, ut manna potius censeri debeat praestantior; hinc patrum quos adduximus nullus est, qui de hac eucharistiae prae figuris V. T. disserens praestantia non diserte doceat, idcirco illam has praecellere, quod in veritate adsit corpus Christi, quod sacramentum sit corporis Christi non absentis sed praesentis. Concludamus verbis disertis auctoris de sacr. l. 4. c. 5. n. 24: „Magnum quidem et venerabile, quod manna judaeis pluit e coelo: sed intellige. Quid est amplius manna de coelo an corpus Christi? Corpus utique Christi, qui auctor est coeli . . . Ergo non otiose dicis tu: Amen, jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi; et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus."

piam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majoremque vim esse benedictionis quam naturae; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.

51. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, et facta est serpens (Exod. 4, 3, 4). Rursus prehendit caudam serpentis, et in virgae naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam et serpentis et virgae? Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis coepit erumpere, et non erat potus in fluviis (Ib. 7, 20. et seqq.). Rursus a prophetae prece cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus hebraeorum, hinc aegyptiis vallatus, inde mari clausus (Ib. 14, 21. et seqq.): virgam levavit Moyses, separavit se aqua, et in murorum specie congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertit exordium (Josue. 3, 16). Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, te-

tigit Moyses petram, et aqua de petra fluxit (Ex. i, 7, 6). Numquid non praeter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Merrha fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit (Exod. 15, 25). Sub Eliseo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est (4. Reg. 6, 6). Rogavit Eliseum, qui amiserat ferrum: misit etiam Eliseus lignum in aquam, et ferrum natavit. Utique et hoc praeter naturam factum cognoscimus; gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor.

52. Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam [1]). Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba

---

[1]) *Propheticae benedictionis numeramus gratiam* i. e. hucusque locuti sumus de propheticae tantum benedictionis virtute, efficacia. Quod si tantum benedictio, virtus *prophetarum* valuit tamquo miros habuit effectus, ut rerum naturas converteret, quid dicemus de consecratione *divina*.

ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt* (Psal. 148, 5): sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.

53. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est: quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est.

54. Ipse clamat Dominus Jesus: *Hoc est corpus meum* (Matth. 26, 26). Ante be-

nedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen. Hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat [1]).

[1]) Solebant fideles secundum ritum, qui tunc temporis in Ecclesia obtinuit, in ipso articulo, quo vel consecrabatur a sacerdote vel ab iis accipiebatur Domini corpus, respondendo *Amen* verae illius praesentiae expressum reddere testimonium. Ad hunc ritum respicit hic Ambrosius. Ceterum cum efficax admodum sit (ut infra videbimus) pro asserenda vera realique corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentia tuendoque transsubstantiationis dogmate argumentum, quod ex testimoniis petitur Patrum illorum, qui ad haec illustranda mysteria conciliandamque illis fidem provocant ad omnipotentiam Dei pro lubitu mutantis rerum naturas vel efficientis quidquid voluerit, quaedam ejusmodi effata hic adducemus. In primis audiendus foret auctor op. de sacramentis l. 4. c. 4, verum cum fere eadem quae Ambrosius habeat, illa praetermittimus. Audiantur tantum ea quibus suam concludit disputationem. „Ex his igitur omnibus, inquit n. 19, non intelligis, quantum operetur sermo coelestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo coelestis in aliis rebus, non operatur in coelestibus sacramentis? Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, et

55. His igitur sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animae firma-

---

quod vinum et aqua in calicem mittitur: sed fit sanguis consecratione verbi coelestis.“ Praetermittimus quoque quae habet Cyrillus hieros. cat. myst. 4, cum in ipso hoc tomo consuli possint. Ad creationis opus stupendum provocat Caesarius arelatensis (secundum alios vel Faustus rhegiensis vel alius antiquis scriptor) hom. 5. de paschate n. 2: „Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Nam visibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* (Matth. 26, 26) . . . Ergo ut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, ita parem potentiam in spiritualibus sacramentis verbis praebet virtus et rei servit effectus.“ Ad alia omnipotentiae divina miracula provocat n. 12: „Quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione sui nominis consecrantur, substantia illic est panis et vini, post verba autem corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea quae verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? Imo jam minoris videtur esse miraculi, si id quod de nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit hominem de limi materia figurare, imaginem etiam suae divinitatis induere: cui promptum est eum rursum revocare de inferis, restituere de perditione, reparare de pulvere, de terra in coelum

tur substantia: meritoque videns profectum ejus gratiae continentem, dicit ad eam:

---

levare, de homine angelum facere, corpus humanum conforme corpori suae claritatis reddere, figmentum suum in regni sui consortio sublimare; ut qui corpus nostrae fragilitatis assumpserat, nos in corpus suae immortalitatis assumat etc.“ Ad incarnationis mysterium provocat Justinus apol. 1. n. 66. „Neque enim ut communem panem, inquit, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus J. Chr. Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.“ Huic consentiens scribit auctor op. de sacr. l. 6. c. 1. n. 1: „Sicut verus est Dei Filius D. N. J. Christus non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dicit, quam accipimus et verus ejus est potus.“ Ad quotidianas mutationes, quae secundum naturae leges peraguntur, provocat Gaudentius brixianus s. 2. de Ex.: „Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum.“ Ab his non multum distant quae habet Chrysostomus hom. 1. de proditione Judae n. 6: „Adest Christus, ita ille, et nunc is, qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse

Quam decora facta sunt ubera tua, soror mea sponsa? quam decora facta sunt a

---

Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens (σχῆμα πληρῶν) stat sacerdos verba illa proferens: virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum*, inquit. Hoc verbum transformat ea, quae proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa: *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (Gen. 1, 28) semel quidem prolata est, omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum procreationem, ita et vox haec semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit". Eadem habet hom. 2. n. 6. Haec omnia Joannes damascenus complectitur ita (de fid. orth. l. 4. c. 13) disserens: „Quamobrem si *sermo Dei vivus est et efficax* (Hebr. 5, 12); et *omnia quaecunque voluit Dominus fecit* (Ps. 134, 6) etc.; si coelum et terra, aqua et ignis et aer omnisque eorum ornatus verbo Domini perfecta sunt, quin et hoc nobilissimum animal, quod homo nuncupatur: si denique ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factus est, atque ex sanctae semperque Virginis purissimis et intaminatis sanguinibus ipse sibi nullo semine carnem compegit, cur demum panem corpus, vinum item et aquam sanguinem suum efficiendi potens non sit? In principio dixit: *Producat herba terram viventem* (Gen. 4, 11) et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino praecepto impulsa et roborata, fetus suos profert: dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum* etc. idque omnipotenti ejus praecepto, donec veniat, efficitur . . . per invocationem huicce novae segeti imbre superveniente,

vino: et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata? Favus distillans labia

---

Spiritus s. nimirum obumbrante virtute . . . Tu quaeris, qui panis fiat corpus Christi, ac vinum et aqua sanguis illius. Ego vero tibi repono Spiritum s. supervenire et ea facere, quae sermonem conceptumque procul exsuperant." Alio mutationis genere transsubstantiationis dogma ingeniose illustrat Gregorius nyssenus, cujus haec sunt (orat. cat. c. 37) verba: „Unde in illo corpore transmutatus panis transit in divinam virtutem per idem fit nunc similiter. Nam et illic Verbi gratia sanctum fecit corpus, cui ex pane erat substantia et quodammodo ipsum corpus erat panis: et hic similiter panis sicut dicit Apostolus sanctificatur per verbum Dei et orationem non eo quidem, ut esu et potu transeat in corpus Verbi, sed ut *statim* per verbum in corpus transmutetur sicut dictum est: *Hoc est corpus meum.*" Eadem fere ratione Joannes damasc. mysterium hoc illustrat ita scribens (l. c): „Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur. Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum s.; quemadmodum et ex s. Dei genitrice Dominus sibiipsi carnem assumpsit, quae in seipso subsisteret: nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est atque omnia potest; modus vero prorsus investigari nequit. Illud vero dicere alienum non est, quemadmodum naturaliter panis per comestionem, vinumque et aqua per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore ejus quod prius exstabat; sic panem, qui in prothesi

tua, o sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor Li-

---

praeparatus fuit, vinum item et aquam per Spiritus s. invocationem et adventum, modo qui naturae viribus et conditione sublimior est, in Christi corpus et sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum et idem.“ Non dissimili comparatione Theodorus Abucara saraceno persuasit, panem mystica benedictione fieri corpus Christi (op. 22. in patrol. gr. ed. Mig. 97, 1554). Postquam enim dixerat concoctione naturali panem in nostri corporis verti substantiam, subjicit: „Eodem modo cogita mihi fieri mysterium nostrum. Ponit sacerdos panem super sanctam mensam, similiter et vinum, et precante eo precationem sanctam, descendit Spiritus s. in ea, quae proposita sunt; et divinitate sua panem et vinum in corpus et sanguinem Christi mutat non minus, quam hepar cibum in corpus alicujus hominis. An, amice, non das, ut possit Spiritus s. perficere, qnod hepar tuum potest? *Saracenus*: Do, inquit, et suspirans tacuit.“ (Ne tamen haec comparatio praeposterum accipiatur in sensum cf. Suarez in 3. p. t. 3. disp. 49. s. 3). Haec vero Patrum effata ad evidentiam usque demonstrant, tantum discedere sacramentariorum, quos vocant, de eucharistia doctrinam a fide majorum nostrorum, quantúm ad hanc dogma accedit catholicum. Risum enim moveret sacramentarius ille, qui ut catechumenis suis persuaderet, panem eucharisticum Christo auctore figuram vel signum esse corporis ejusdem, ad miracula vel opera provocaret omnipotentiae divinae, quibus ex nihilo mundum creavit, aquam vertit in vinum, hominem e suis cineribus resuscitabit etc., cum ad

bani. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus (Cant. 4, 10 ss.). Quo significat signatum debere apud te manere mysterium, ne violetur operibus malae vitae, atque adulterio castitatis, ne divulgetur quibus non convenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos. Bona ergo debet esse fidei tuae custodia, ut intemerata vitae ac silentii integritas perseveret.

56. Unde et Ecclesia altitudinem servans mysteriorum coelestium, rejicit a se graviores venti procellas, et invitat vernantis gratiae suavitatem: et sciens quod hortus suus Christo displicere non possit, ipsum advocat sponsum, dicens: *Exsurge aquilo, et veni auster: perfla hortum meum, et defluant unguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum, et edat fructum pomiferarum suarum* (Cant. 4, 16, et 5, 1). Bonas enim arbores et fructiferas habet, quae

---

institutionem figurae vel signi tantus potentiae apparatus non requiratur, nec ulla sit inter hanc et illa opera similitudo. E contrario ad demonstranda dogmata catholica de eucharistia nil aptius, nil opportunius, validius nihil hoc loquendi probandique modo afferri potest. Viderint proinde adversarii nostri, penes quos sit veritas!

radices suas tinxerint sacri fontis irriguo, et in bonos fructus novae fecunditatis germine pullulaverint; ut non jam prophetica caedantur securi, sed evangelica ubertate fecundentur.

57. Denique fertilitate earum etiam Dominus delectatus respondet: *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa: vindemiavi myrrham meam cum unguentis meis, manducavi cibum meum cum melle meo, bibi potum meum cum lacte meo* (Cant. 5, 1). Quare cibum et potum dixerit, fidelis intellige. Illud autem non dubium, quod in nobis ipse manducat et bibit, sicut in nobis legisti, quia in carcere esse se dicit (Matth. 25, 36).

58. Unde et Ecclesia videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad sacramenta concurrant, dicens: *Edite, proximi mei, et bibite et inebriamini, fratres mei* (Cant. 5, 1). Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per prophetam Spiritus sanctus expressit dicens: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo* (Psal. 33, 9). In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde et Apostolus de typo ejus

ait: *Quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt, et potum spiritalem biberunt* (1. Cor. 10, 3); corpus enim Dei corpus est spiritale: corpus Christi corpus est divini Spiritus; quia Spiritus Christus, ut legimus: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus* (Thren. 4, 20). Et in Petri epistola habemus: *Christus pro nobis mortuus est* (1. Petr. 2, 21). Denique cor nostrum esca ista confirmat, et potus iste laetificat cor hominis ut propheta memoravit (Psal. 103, 15).

59. Unde adepti omnia, sciamus regeneratos nos esse: nec dicamus: Quomodo regenerati sumus? Numquid in ventrem matris nostrae introivimus et renati sumus? non agnosco usum naturae. Sed nullus hic naturae ordo, ubi excellentia gratiae est. Denique non semper usus naturae generationem facit: generatum ex Virgine Christum Dominum confitemur, et naturae ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit: sed de Spiritu sancto in utero accepit, ut dicit Matthaeus: *Quia inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (Matth. 1, 18). Si ergo superveniens Spiritus sanctus in Virginem, conceptionem operatus est, et generationis munus

implevit: non utique dubitandum est quod superveniens in fontem, vel super eos qui baptismum consequuntur, veritatem regenerationis operetur.

S. P. N. CYRILLI

HIEROSOLYMITANI ARCHIEPISCOPI

CATECHESES MYSTAGOGICAE V[1]).

Catechesis mystagogica I.

Ad eos, qui nuper illuminati sunt. Et lectio ex prima Petri catholica epistola, ab his verbis: Sobrii estote, vigilate (1 Petr. 5, 8), *usque ad finem epistolae.*

Argumentum.

1. Cur in hoc tempus dilata de mysteriis institutio? 2. Quae in baptisterii vestibulo peracta. Abrenunciatio satanae, extensa ad occidentem manu. Hujus rei figura, in israelitis ab aegyptiaca servitute liberatis. 4. Cur stando ad occidentem satanae abrenunciatio secunda omnibus satanae operibus. Quaenam illa sint. 6. Abrenunciatio tertia omni pompae diabolicae. Quaenam illa sit? 7. Cibi in idolorum solemnitatibus suspensi. 8. Abrenunciatio quarta omni cultui diaboli. Quinam ille sit? 9. Confessio fidei ad orientem stando facta. 10. Conclusio in modum exhortationis.

---

[1]) S. Cyrillus doctrinae apostolicae acerrimus propugnator c. a. 315. natus ac Hierosolymis ab in-

1. Desiderabam vobis jam antea, o germani et desideratissimi Ecclesiae filii, de his spiritualibus coelestibusque mysteriis disserere. Verum quoniam plane gnarus eram oculorum esse majorem quam aurium fidem, praesens tempus exspectavi, ut ex ista vos experientia ad ea, quae dicenda erant, ductu faciliores effectos assumens, ad

---

fantia educatus videtur; a. vero 350. illius urbis episcopus constitutus fuit. Ter propter fidem in exsilium pulsus, sub Valente per duodecim fere annos (367—379) exsulavit. Sub Theodosio reversus ad ecclesiam suam octo annis episcopatum adhuc tenuit, eoque tempore concilio constantinopolitano I. interfuit, cui etiam cum episcopo antiocheno et alexandrino praesedisse perhibetur. Obiit a 386. Dum esset episcopus Julianus apostata templum hierosolymitanum nisus est restaurare, verum s. Cyrillus praedixit innixus verbis Salvatoris, conatus omnes fore inanes irritosque, nec vaticinio defuit eventus. Habuit has catecheses cum adhuc presbyter esset a. 347. vel 348. ad jam baptizatos, quibus symbolum prius exposuerat (cat. 1—18), eosque nunc plene et accurate de mysteriis, quibus modo fuerant initiati, de baptismo scil., confirmatione et eucharistia instruit. Habitae sunt feriis paschalibus. Ex omnium eruditorum sententia inter pretiosissima antiquitatis monumenta hae catecheses numerantur. Edimus autem versionem latinam, quae in operum s. Cyrilli editione omnium praestantissima a cl. Touttée O. S. B. e congreg. maur. adornata prostat.

sanctorum-patrum-oblast.ru

lucidius fragrantiusque paradisi hujusce pratum manuducerem. Alias vero diviniorum quoque capaces facti estis mysteriorum, divino ac vivificante lavacro digni habiti. Quando igitur jam perfectiorum vobis praeceptionum apponenda est mensa, age de his vos accuratius erudiamus: ut vim illam atque operationem cognoscatis. quae in vobis illa baptismatis vespera effecta est.

2. Primum ingressi estis in aedem, quae baptisterio est pro atrio; atque occidentem versus stantes audivistis, jussique estis manum extendere, et tamquam praesenti abrenunciastis satanae. Scire autem vos oportet hujus rei figuram in veteri historia contineri. Cum acerbissimus et immitissimus tyrannus Pharao liberum ac generosum hebraeorum populum opprimeret, Deus Moysen delegavit, qui eos ex prava aegyptiorum servitute educeret. Ac sanguine quidem agni postes ungebantur, ut domos sanguinis signo denotatas vastator praeteriret: hebraeorum vero populus miris plane modis in libertatem assertus est. Ut vero liberatos hostis persecutus est, et mare ipsis, mirum dictu, divisum conspexit: pariter ipse perrexit vestigia vestigiis conjungens extemploque submersus est rubri maris fluctibus praecipitatus.

3. Nunc mihi a veteribus ad nova, a figura ad veritatem transgredere. Illic Moyses in Aegyptum a Deo mittitur: hic Christus a Patre in mundum delegatur. Ille ut oppressum populum ex Aegypto educeret; Christus, ut laborantes in mundo sub onere peccati, liberaret. Illic agni sanguis, vastatoris averruncatio fuit: hic agni immaculati Jesu Christi sanguis, daemonum expultrix causa constitutus. Tyrannus ille veterem illum populum ad mare usque insecutus est: te quoque audax ille, impudens et malorum princeps daemon, ad salutares usque fontes insequebatur. Ille in mari demersus est: et iste in salutari aqua evanescit.

4. Verum tibi praecipi audis, ut, extensa tamquam ad praesentem manu, dicas: *Abrenuncio tibi satana.* Volo et cujus rei gratia ad occidentem steteritis, edicere; necesse est enim. Quoniam sensibilium tenebrarum locus est occidens; ille vero in tenebris imperium habet, cum ipse sit tenebrae; idcirco ad servandam symboli rationem ad occasum respicientes, tenebroso illi et caliginoso principi abrenunciatis. Quid igitur stans dixit vestrum unusquisque? *Abrenuncio tibi satana*: tibi maligno ac dirissimo tyranno. Non amplius, ais, vim tuam formido: hanc

enim dissolvit Christus, sanguinis et carnis mecum particeps factus, ut per haec mortem morte aboleret, ut ne perpetuo obnoxius essem servituti (Hebr. 2, 14, 15). *Abrenuncio tibi* callido et vaferrimo serpenti. *Abrenuncio tibi*, qui insidiator es, et omnem simulatione amicitiae iniquitatem peperisti, primisque nostris parentibus defectionem inspirasti. *Abrenuncio tibi satana*, cujusvis improbitatis et auctori et administro.

5. Deinde in secunda formula doceris ut pronuncies: *Et omnibus operibus tuis.* Opera satanae, quodcunque peccatum est, cui abrenunciare necesse est. Quemadmodum si quis tyrannum aufugit, prorsus arma quoque ipsius abjecit. Omne igitur peccati genus, diaboli operibus accensetur. Verumtamen illud te scire oportet, quaecunque illa praesertim formidabili hora dicis, in Dei libris scripto consignata haberi. Quando igitur cunque his quidpiam contrarii admiseris, tamquam foedifragus judicaberis. Renuncias itaque satanae operibus, omnibus, inquam, et actionibus et cogitationibus, quae a ratione discedunt.

6. Postea dicis: *Et omni pompae illius.* Pompa vero diaboli est, theatrorum insaniae, equorum cursus in hyppodromis, venationes

in circo et reliqua hujuscemodi vanitas, de qua liberari se postulans sanctus Deo dicit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* (Psal. 118, 37). Ne tibi studio et cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et dedecore abundantes, atque effeminatorum virorum furoris et amentiae plenas saltationes. Neque illa eorum, qui in circensibus venationibus sese feris exponunt, ut infelicem alvum demulceant; qui ut ventrem alimentis deliniant, ipsi revera ventris immitium ferarum pabulum fiunt; atque ut rectius dicam, pro ventre quem unum Deum noverunt (Philip. 3, 19), propriam vitam in praecipitium singularibus certaminibus abjiciunt. Fuge etiam equorum curricula, quod prorsus insanum est supinasque animas dejicit spectaculum. Haec enim omnia diaboli pompae existunt.

7. Tum vero et illa, quae in idolorum solemnitatibus suspendi solent, sive carnes, sive panes, vel alia ejusdem modi, quae impurissimorum daemonum invocatione contaminata sunt, diaboli pompae adjunguntur. Quemadmodum enim panis et vinum eucharistiae ante sanctam adorandae Trinitatis invocationem, nudus panis et vinum erat, invocatione autem peracta, panis fit corpus

Christi, et vinum sanguis Christi; ita et hujusmodi esculenta ad pompam satanae pertinentia, cum ex natura sua nuda et communia sint, invocatione daemonum profana et contaminata redduntur [1]).

[1]) Dici nequit quam avide calviniani haec accipiant ad transsubstantiationis dogma negandum asserendamque virtualem tantum corporis Christi in eucharistia praesentiam. Sed adeo perspicue s. Cyrillus infra veram transsubstantiationem docet, ut de ejus mente nullum esse possit dubium. Quare haec comparatio adaequata censeri nequit, sed (ut fere omnis comparatio) finibus quibusdam est restringenda. Si vero quaeris, in quo sit similitudo, in quo dissimilitudo, respondebimus verbis cl. Touttée in diss. 3. plane egregia de doctrina s. Cyrilli c. 10. n. 81: „Hanc inter omnia similitudinem constituit, ut sicut immolati cibi post invocationem daemonum, et sacrum chrisma post invocationem Dei, non sunt nudi et communes cibi, nec nudum et commune unguentum, ita panis eucharisticus et vinum post invocationem Trinitatis non sit nudus panis et vinum commune. Haec omnibus communia. Sed cibos immolatos et chrisma non dicit fieri aliam naturam; cibi semper manent id quod sunt, et unguentum semper unguentum. At panem eucharisticum et vinum docet *fieri* aliud prorsus a pane et vino, *corpus* nimirum et *sanguinem Christi.* Quod de pane et vino consecratis ait, ea panem et vinum non esse licet id sensus renuncient, nunquam adeo imprudens est, ut de cibis immolatis similiter dicat, non esse amplius panes aut carnes: aut de chrismate non esse amplius unguentum materiale.“

8. Post haec dicis: *Et omni cultui tuo.* Cultus diaboli est habita in idolorum delubris supplicatio: quae ad honorem inanimatorum simulacrorum fiunt; accendere lucernas, aut suffitus ad fontes vel fluvios adolere; quemadmodum nonnulli somniis aut daemonum fraude delusi, ad eas aquas accessere, rati se ibi corporearum infirmitatum medelam reperturos, vel alia hujus generis. Ne igitur te in illis immisceas. Augurium, divinatio, ominationes, aut amuleta, aut in laminis inscriptiones, magiae, aliaeve malae artes, quaeque illis similia, cultus sunt diaboli. Haec igitur fuge. Si enim illis succubueris post renunciationem satanae et aggregationem tui ad Christum, crudeliorem experiere tyrannum; qui olim fortassis te uti familiarem tractabat, duramque tibi servitutem remittebat, nunc vero a te vehementer est exacerbatus: atque adeo et Christo privaberis, et illum experiere subjectus. Nunquamne audivisti, quae nobis vetus historia de Loto ejusque filiabus renunciat? Nonne ipse quidem cum filiabus incolumis servatus est, cum ad montem appulisset (Gen. 19, 15—30): ejus autem uxor statua salis effecta est in aeternum monumentum posita, quae pravi affectus et praeposterae conver-

sionis memoriam servet. Attende igitur tibi ipsi, neque iterum retro convertaris; admovens aratro manum, rursumque ad amarulentam hujus vitae consuetudinis salsitudinem convertens. Verum in montem fuge ad Jesum Christum, illum sine manibus excisum lapidem, qui totum orbem replevit. (Dan. 2, 35—45).

9. Quando igitur satanae renuncias, omne prorsus cum illo pactum, vetera cum inferno foedera dissolvens: aperitur tibi Dei paradisus quem ad orientem plantavit, ex quo propter violatum Dei mandatum primus noster parens expulsus est (Gen. 3, 23). Et hujus rei symbolum est, quod ab occasu ad ortum, qui lucis est regio, te convertisti. Tunc tibi imperatum est ut diceres: *Credo in Patrem, et in Filium, et in sanctum Spiritum, et in unum baptisma poenitentiae.* Quibus de rebus in prioribus catechesibus, quantum divina concessit gratia prolixius tibi disseruimus [1]).

10. His itaque praemunitus sermonibus advigila. *Adversarius enim noster diabolus*, ut modo lectum est, *tamquam leo rugiens obambulat, quaerens quem devoret*

[1]) I. e. in catechesibus de symbolo, quod primum catechumenis exponi solebat.

(1 Petr. 5, 8). Ac superioribus quidem temporibus devorabat mors praevalens. In sancto vero regenerationis lavacro abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie. Non enim lugebis amplius, exuto veteri homine: sed potius festum diem ages salutaris vestimentum indutus Jesum Christum (Rom. 13, 14).

11. Et haec quidem in exteriori aede sunt gesta; Deo autem volente, cum in sequentibus mystagogiis in sancta sanctorum ingrediemur, ibi eorum, quae illic peraguntur, symbola cognoscemus. Deo vero Patri sit gloria, imperium, magnificentia, cum Filio et sancto Spiritu, in secula seculorum. Amen.

Catechesis mystagogica II.

De baptismo: *Et lectio ex epistola ad Romanos, ab illo loco:* An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ipsius baptizati sumus (Rom. 6, 5)? *usque ad haec verba:* Non enim estis sub lege, sed sub gratia (Ibid. 14).

Argumentum.

1. Quae in baptisterio peracta. 2. Primum deposita vestimenta. Cujus rei symbolum? 3. Unctio corporis totius per oleum exorcizatum. Quidnam id significet? Insufflationes sanctorum, et invocatio no-

minis Dei urit daemonas, et abigit. 4. Interrogatio de fide. Trina immersio. 5. In baptismo imitatio mortis, sepulturae et resurrectionis: sed salus vere, non imitatione tantum. 6, 7. Probatur baptismum Christi passionum imitationem habere. 8. Conclusio per modum exhortationis ad retinendam memoria traditam doctrinam.

1. Utiles sunt nobis quae quotidie habentur mystagogiae (seu mysteriorum explicandi gratia institutiones), novaeque semper doctrinae, novarum rerum enunciatrices: sed vobis praesertim, qui a vestutate in novitatem renovati estis. Propterea hesternae vobis mystagogiae consequentia ex necessitate apponam, ut addiscatis quarum rerum symbola fuerint illa, quae vobis in interiori aede peracta sunt.

2. Statim igitur ut ingressi estis, tunicam exuistis: quae veteris hominis cum actibus exspoliati imago erat. Exuti, nudi fuistis, in hoc quoque nudatum in cruce Christum imitantes; qui ea nuditate principatus et potestates exspoliavit deque illis in ligno propalam triumphum egit (Col. 2, 15). Quoniam enim in membris vestris stabulabant adversariae potestates, non licet vobis amplius veterem illam tunicam gestare: non eam dico, quae sensibus percipitur; sed *veterem hominem, qui corrumpitur in desi-*

deriis erroris (Ephes. 4, 22). Quem non contingat usquam ut iterum induat quae semel exuit anima, dicat vero juxta eam, quae in Cantico canticorum loquitur Christi sponsam: *Exui tunicam meam, quomodo induam illam* (Cant. 5, 3)? O rem admirandam; nudi fuistis coram oculis omnium, nec pudore tangebamini. Revera enim primi parentis Adam imaginem ferebatis, qui in paradiso nudus erat, nec verecundabatur (G. 2, 25).

3. Deinde vero sic exuti, exorcizato peruncti estis oleo a summis verticis capillis usque ad infima, et participes facti estis sincerae oleae Jesu Christi. Excisi enim ex oleastro insiti estis in sinceram oleam, et consortes effecti estis pinguedinis verae oleae. Igitur exorcizatum oleum symbolum erat communicationis pinguedinis Christi; quod quidem omne adversariae potestatis vestigium extemplo fugat. Quemadmodum enim insufflationes sanctorum et invocatio nominis Dei, flammae instar vehementissimae daemones urit et effugat: ita et exorcizatum istud oleum, per invocationem Dei et orationem tantam vim assumit, ut non modo urendo peccatorum vestigia depurget; verum etiam omnes invisibiles mali (spiritus) potestates in fugam agat.

4. Postea ad sanctam divini baptismatis piscinam deducti estis, uti Christus a cruce ad positum coram sepulcrum. Et interrogatus est unusquisque, utrum crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Confessique estis salutarem confessionem, ac demersi estis tertio in aquam, rursumque emersistis: atque hic in imagine et in symbolo triduanam Christi significastis sepulturam. Sicut enim Salvator noster tres dies et noctes tres in ventre terrae egit (Matth. 12, 40): sic et vos in prima emersione primam quam in terra Christus exegit diem, et immersione noctem, imitati estis. Nam velut qui in nocte degit, non amplius videt; qui vero in die, in lumine versatur: sic et in mersione, tamquam in nocte nihil vidistis; in emersione vero tamquam in die positi fuistis: eodemque momento et mortui, et nati estis; illaque unda salutaris, et sepulcrum vobis et mater effecta est. Et quod de aliis rebus Salomon dixit, vobis optime conveniat. Dicebat ille: *Tempus pariendi et tempus moriendi* (Eccle. 3, 2); at vobis e converso: tempus moriendi et tempus nascendi. Unum tempus haec utraque effecit, et cum morte nativitas vestra concurrit.

5. O novum inauditumque rerum ge-

nus! Non sumus vere mortui, nec vere sepulti, nec vere crucifixi resurreximus: verum earum rerum per imaginem imitatio expressa est, at veritate parta hinc salus. Christus vere crucifixus est, et vere sepultus, et vere surrexit: et haec omnia nobis per gratiam sunt impertita, ut per imitationem participes ejus perpessionum facti, in veritate salutem lucremur. O exuberantem in homines amorem! Christus incontaminatis pedibus ac manibus suis clavos excepit et dolorem pertulit: et mihi doloris et laboris inexperto, per suorum dolorum communicationem salutem gratificatur

6. Nemo ergo existimet baptisma in remissionis peccatorum dumtaxat et in adoptionis gratia consistere, sicut erat Joannis baptisma, quod solam peccatorum remissionem conferebat: cum contra accurate noverimus illud, sicut peccatis expurgandis valet, et Spiritus sancti donum conciliat, ita et Christi passionum antitypum atque expressionem esse. Propter hoc enim et Paulus modo [1]) clamans aiebat: *An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati su-*

---

[1]) In lectione, quae catechesin hanc praecessit.

mus? Consepulti ergo ei sumus per baptismum in mortem (Rom. 6, 3, 4). Haec ad eos dicebat, qui in animum induxerant suum, baptismum remissionem peccatorum et adoptionem equidem conferre; non autem etiam verarum Christi passionum, secundum imitationem quandam, participationem complecti.

7. Ut igitur discamus, Christum, quaecunque pertulit, haec propter nos et nostram salutem vere et non opinione tantum sustinuisse, nosque passionum ejus participes effici, Paulus summa diligentia et sedulitate clamabat: *Si enim insititii illi facti sumus similitudine mortis ejus, nimirum et resurrectionis participes erimus* (Ibid. 5). Pulchre illud, *insititii;* quoniam enim hic plantata est [1]) vitis vera, nos quoque communicatione baptismi mortis, insititii illi facti sumus. Adverte vero multa cum attentione animum Apostoli verbis. Non enim dixit: *Si insititii illi facti sumus morte,* sed, *similitudine mortis.* Vere enim mors apud Christum; vere quippe anima a corpore separata est: vera quoque sepultura; nam in sindone munda sanctum ejus corpus invo-

[1]) In loco sepulcri in quo dicebat Cyrillus.

lutum est, vereque omnia in ipso contigerunt. At in vobis mortis quidem est et passionum similitudo; salutis vero non similitudo, sed veritas.

8. Haec a nobis sufficienter edocti memoria, quaeso retinere laboretis: ut et ego indignus licet de vobis dicam: *Diligo autem vos, quod semper mei memores estis, et traditiones, quas vobis tradidi, retinetis* (1 Cor. 11, 2). Potens vero est Deus, qui vos tamquam ex mortuis viventes repraesentavit, vobis dare ut in novitate vitae ambuletis. Quoniam ipsi gloria et imperium nunc et in secula. Amen.

Catechesis mystagogica III.

De chrismate. Et lectio ex catholica prima Joannis epistola, ab his verbis: Et vos chrisma, (*sive unctionem*) habetis a Deo, et nostis omnia, *usque ad ista:* Et non pudefiamus ab eo in adventu ejus (Joan. 2, 20—28).

Argumentum.

1, 2. Chrisma datum neophytis post suum e lavacro ascensum. Christus Spiritu sancto unctus. 3. Chrisma sacrum post invocationem. 4. Chrismatis unctio in fronte, auribus, naribus, pectore. 5. Post acceptum baptismum et chrisma, christianorum nomine digni sumus. 6. Sancti chrismatis symbolum in veteri lege. 8. Exhortatio ad conservandam chrismatis gratiam.

1. In Christum baptizati et Christum induti similis cum Filio Dei formae facti estis. Qui enim praedestinavit nos Deus in adoptionem, conformes effecit corpori glorioso Christi. Participes igitur effecti Christi christi non immerito appellamini; deque vobis dixit Deus: *Nolite tangere christos meos* (Psal. 104, 15). Christi autem facti estis, dum Spiritus sancti antitypum [1]) acce-

---

[1]) *Spiritus s. antitypum.* Hisce verbis hanc subjicit annotationem cl. Touttée: Hoc est *symbolum, vicaria similitudo, pignus.* Antitypum non idem praecise est ac typus seu figura; sed typus quidam in locum rei praesentis vel latentis datus. Antitypum itaque rem, quam repraesentat, de se nec includit nec excludit: tantum praesentiam ejus sensibilem supplet. Cyrillus cat. 20. n. 6. baptismum dicit praeteritarum Christi passionum, quas ipsi non toleramus, antitypum esse: hic autem chrisma, praesentis quidem sed latentis Spiritus s. antitypum pronunciat: nam 1) chrisma dicit *Spiritus s. efficiens fieri, praesentia divinitatis ejus*, postquam Ecclesiae precibus consecratum fuit, cat. hujus n. 3; 2) ait ib. quando visibili chrismate corpus perlinitur, animam sancto et vivifico Spiritu sanctificari; 3) pronunciat n. 5. summi sacerdotis et Salamonis in veteri lege unctiones in symbolo et figura constitisse. At nos vere non in figura a Spiritu s. inungi; 4) ait cat. 3. n. 14. et cat. 17. n. 9. ipsum Spiritum s. qui in Christum descendit, in nos quoque descendere, et cat. 16. n. 26. cat. 17. n. 15 eundem Spiritum, qui

pistis: et omnia erga vos in imagine sunt peracta, quandoquidem Christi imagines estis. Ac ille quidem in Jordanis flumine ablutus, cum fragantia Divinitatis suae effluvia aquis communicasset, ab eis ascendit, sanctique Spiritus substantialis in eum illapsus factus est, simili super similem requiescente. Vobis quoque similiter, postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum est chrisma, illius antitypum, quo unctus est Christus, quod est nimirum Spiritus sanctus. De quo et beatus Isaias in prophetia ipsum respiciente ex persona Domini dixit: *Spiritus Domini super me, quapropter unxit me; evangelizatum pauperibus misit me* (Isai. 61, 1).

2. Oleo enim, sive unguento corporali Christus ab hominibus unctus non est; sed Pater eum totius mundi servatorem praestituens, Spiritu sancto unxit; sicut Petrus ait: *Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto* (Act. 10, 38). Et propheta David clamabat dicens: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et*

---

in veteres justos primum ac deinde in apostolos illapsus est, in nos advenire. Hactenus cl. editor.

odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis ultra consortes tuos. Ac quemadmodum Christus vere crucifixus est et sepultus et resurrexit: vobis autem in baptismate per quandam similitudinem una cum ipso crucifigi et sepeliri et resurgere divina dignatione conceditur: ita et de chrismate contingit. Ille intelligibili exsultationis oleo perunctus est, id est Spiritu sancto, qui exsultationis oleum idcirco appellatur, quod ipse spiritualis exsultationis auctor exsistat: vos vero unguento uncti estis, Christi participes et consortes effecti.

3. Ceterum vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis eucharistiae, post invocationem sancti Spiritus, non est communis panis, sed corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum, non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem; sed Christi donarium et Spiritus sancti, praesentia divinitatis ejus, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.

4. Ac primum in fronte peruncti estis, ut ab ea verecundia liberaremini, quam primus homo transgressor ubique circumferebat: utque retecta facie gloriam Domini tamquam in speculo contemplaremini. Deinde in auribus; ut aures acciperetis divinorum mysteriorum audientes, de quibus Isaias dicebat: *Et addidit mihi Dominus auriculam ad audiendum* (Isai. 50, 4); Dominusque Jesus in Evangeliis: *Qui habet aures ad audiendum, audiat* (Matth. 11, 15). Postea ad nares; ut divinum amplectentes unguentum diceretis: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt* (2. Cor. 2, 15). Tum vero et pectus peruncti estis, ut induentes thoracem justitiae, staretis adversus insidias diaboli (Ephes. 6, 14 et 11). Nam velut Christus post baptismum et sancti Spiritus in se adventum, egressus debellavit adversarium: ita et vos post sacrum baptisma et mysticum unguentum, induti totam sancti Spiritus armaturam, adversus oppositam potestatem consistitis, eamque debellatis ajentes: *Omnia possum in eo, qui me corroborat, Christo* (Philipp. 4, 13).

5. Hoc sancto chrismate digni habiti, vocamini christiani, veritatem quoque nominis hujus per regenerationem assequentes.

Prius enim quam haec vobis gratia collata esset, eo nomine proprie digni non eratis, sed eo contendebatis ut essetis christiani.

6. Nosse autem vos oportet chrismatis (seu unctionis) hujus in veteri Scriptura symbolum exstare. Quando enim Moyses divinum cum fratre communicavit mandatum, summum eum sacerdotem constituens, ablutum aqua perunxit: vocatusque est christus (Lev. 8, 1 ss. 4, 5), ab chrismate videlicet (seu unctione) figurativa. Sic et Salomonem summus pontifex in regem promovens, unxit eum postquam lavisset in Gihon (3 Reg. 1, 39 et 45). *At haec in figura contingebant illis* (1 Cor. 10, 11): vobis autem non secundum figuram, sed in veritate, siquidem a Spiritu sancto vere inuncti estis. Principium vestrae salutis est Christus: ille enim vere primitiae est, vos vero conspersio. Si autem primitiae sanctae sunt, non dubium quin ad conspersionem transferenda sit sanctitas.

7. Hoc (chrisma) incontaminatum custodite; de omnibus enim vos docebit, si in vobis manebit; quemadmodum paulo ante audivistis beatum Joannem ajentem et multa de hac unctione philosophantem. Est enim hoc (chrisma) sanctum, spirituale corporis

amuletum, et animae salutare (praesidium). De eo jam a veteribus temporibus beatus Isaias prophetans dicebat: *Et faciet Dominus omnibus gentibus in monte hoc* (montem autem appellat Ecclesiam, etiam in aliis locis, velut cum dicit: *Et erit in extremis diebus conspicuus mons Domini* Is. 2, 2): *bibent vinum, bibent laetitiam, ungentur oleo* (Ib. 25, 6). Atque ut eo magis te confirmet, audi quae de hoc unguento tamquam mystico dicit: *Trade haec omnia gentibus; consilium enim Domini super omnes gentes* (Ibid. 7). Hoc igitur sancto unguento peruncti, illud immaculatum et a reprehensione liberum in vobis custodite, per bona opera proficientes, et placentes auctori salutis vestrae Christo Jesu cui gloria in secula seculorum. Amen.

Catechesis mystagogica IV.

De corpore et sanguine Christi. Et lectio ex Pauli ad Corinthios epistola: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis (1 Cor. 11, 23), *et quae sequuntur.*

Argumentum.

1—4. Per mysteria concorporei et consangues Christi efficimur. Post asseverationem Domini, nemo dubitare potest eucharistiam esse corpus et sanguinem ejus. 5. Figura mysteriorum nostrorum panes

propositionis. 6. In his mysteriis sensuum testimonium audiendum non est, sed fidei. 7. Mensa Christi spiritalis et mystica, impurae daemoniorum mensae a Deo opposita. Ambo sacramenta sacri chrismatis et eucharistiae a Davide et Salomone expressa. 8. Neophytorum candidae vestes tota paschali hebomada. 9. Exhortatio ad fidem intrepidam et conscientiae puritatem.

1. Vel haec sola beati Pauli institutio abunde sufficiens est, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat: quibus digni habiti, concorporei et consangues Christi facti estis. Ille enim modo clamabat: *Quod in ea nocte, qua tradebatur Dominus noster Jesus Christus, sumpto pane et gratiis actis, fregit et dedit suis discipulis dicens: Accipite, manducate; hoc est corpus meum. Et sumpto calice, ac gratiis actis, dixit: Accipite, bibite; hic est sanguis meus* (1 Cor. 11, 23—25). Cum igitur ipse pronunciaverit, et dixerit de pane: *Hoc meum est corpus*, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: *Hic meus est sanguis*; quis unquam dubitaverit, ajens non esse ejus sanguinem?

2. Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit: et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem trans-

mutavit? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit: et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur?

3. Quare cum omni persuasione tamquam corpus et sanguinem Christi (illa) sumamus. Nam in figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis [1]); ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic enim et christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine; sic juxta beatum Petrum divinae fimus consortes naturae (2 Petr. 1, 4).

4. Olim Christus cum judaeis disserens

---

[1]) *In figura panis* i. e. in, sub specie panis. Hic locus nullatenus favet sacramentariis quasi panis sit figura (vacua) tantum, cum s. Cyrillus tam evidenter realem corporis Christi praesentiam in eucharistia in hac et in seq. cat. doceat, ut verba fere desint, quibus clarius ea significetur. Est quidem eucharistia figura, signum, symbolum corporis Christi, sed non absentis, verum praesentis et latentis, complectens id quod significat, quemadmodum linguae ignis super apostolos die pentecostes apparentes (Act. 2, 3) symbolum erant Spiritus s. non absentis sed praesentis. Cf. Touttée in diss. 3. de doctr. s. Cyr. c. 9. ss.

ajebat: *Nisi manducaveritis meam carnem, et biberitis meum sanguinem, non habetis vitam in vobis ipsis* (Joan. 6, 54). Cum autem illi ea, quae dicebantur, non spiritualiter accepissent [1]), offensi abierunt retro, existimantes quod eos ad manducandas carnes hortaretur.

5. Erant et in antiquo foedere panes

[1]) *Illi ea quae dicebantur* etc. In h. l. haec annotat Touttée: „Id de judaeis dicit, quod de discipulis Christi narrat evangelista. Millesius vertit prave, *quae spiritualiter dicebantur*: Cyrillus vero eos accusat, quod *spiritualiter non intelligerent*; hoc est, ad crudam et vulgarem carnium manducationem detorquerent, quod Christus de vera quidem et reali, sed sacramenti sub typo obtecta, carnis suae comestione dicebat. Spiritualiter autem intelligenda erant Christi verba; nempe panem illum ad animam magis quam ad corpus pertinere propter divini Verbi praesentiam, infra n. 5. Eum non in ventrem ut ceterorum ciborum more corpus alat et reliquiae in secessum ejiciantur, descendere; sed ad hoc dari ut animam pascat et corpus ipsum suo attactu sanctificet, in totam hominis compagem distributus cat. 23. n. 15. Hoc a nobis explicato sensu jubet infra n. 9. eucharisticum panem manducari velut spiritualem *μεταλαμβάνων αὐτοῦ ὡς πνευματικοῦ* seu tamquam ad aliud quidpiam quam ad corpus alendum destinatum, et s. Spiritus illapsu aliud prorsus factum ab eo, quod sensus et gustus demonstrat."

propositionis: verum illi cum ad vetus Testamentum attinerent, finem acceperunt. In novo vero Testamento, panis est coelestis et poculum salutaris, animam et corpus sanctificantia. Quemadmodum enim panis corpori conveniens est, ita et Verbum animae consentaneum.

6. Quamobrem ne tamquam nudis (et communibus elementis), pani et vino (eucharisticis) attende. Sunt enim corpus et sanguis Christi, secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum et firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse.

7. Cujus rei quae sit vis, explicabit David, dicens: *Parasti in conspectu meo mensam ex adverso iis, qui affligunt me* (Ps. 22, 5). Quod autem ait, hujusmodi est: Ante adventum tuum mensam daemones hominibus apparaverant contaminatam, inquinatissimam et diabolica potestate refertam. Verum post quam advenisti, o Domine, *parasti in conspectu meo mensam.* Quando homo Deo dicit: *Parasti in conspectu meo mensam*, quid aliud significat praeter mysticam et

intelligibilem mensam, quam Deus nobis apparavit *ex adverso*, hoc est, ex adversa parte et oppositam daemonibus? Et recte quidem: mensa enim illa communionem habebat cum daemonibus; isthaec vero cum Deo. *Impinguasti in oleo caput meum* (Ib. 22, 5). Oleo caput tuum impinguavit in fronte, per signaculum quod habes Dei, ut efficiaris effigies signaculi, sanctificatio Dei. *Et calix tuus inebrians me quasi optimus* (Ib. 22, 5). Vides hic eum calicem dici, quem cum sumpsisset Jesus in manus et gratias egisset, dixit: *Hic meus est sanguis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum* (Matth. 26, 28).

8. Idcirco et Salomon eam gratiam in Ecclesiaste significans ait: *Veni, comede in laetitia panem tuum*; (spiritualem panem. *Veni*: vocat nimirum salutari, et quae beatos facit, vocatione), *et bibe vinum tuum in corde bono*: vinum spirituale. *Et oleum super caput tuum effundatur.* Videsne quemadmodum etiam mysticum chrisma designet? *Et omni tempore sint tua vestimenta candida, quia Deo accepta sunt opera tua* (Eccle. 9, 7, s). Prius enim quam ad gratiam accederes, *vanitas vanitatum* (Ibid. 1, 2) erant opera tua. Post quam vero

exuisti vetera vestimenta, et ea quae sunt spiritualiter candida induisti, semper te candidis vestitum esse oportet. Non hoc dicimus, quod vestibus albis te semper indui necesse sit: sed quae vere alba sunt et splendida, (et spiritalia) his te indutum oportet, ut juxta beatum Isaiam dicas: *Exsultet anima mea in Domino: induit enim vestimento salutaris, et tunicam laetitiae circumposuit mihi* (Isai. 61, 10).

9. Isthaec edoctus, et certissima imbutus fide quod qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi: quodque ea de re antiquitus in psalmis ajebat David: *Et panis cor hominis confirmat, ut exhilaret faciem in oleo* (Ps. 103, 15): confirma cor tuum, panem illum tamquam spiritualem sumens, et animae tuae faciem exhilara. Quam utinam faciem retectam habens in pura conscientia, gloriam Domini velut in speculo contemplans, eas ex gloria in gloriam, in Christo Jesu Domino nostro, cui honor, et potestas, et gloria in secula seculorum. Amen.

Catechesis mystagogica V.

Ex epistola Petri catholica: Idcirco deponentes omnem immunditiam, et omnem dolum ac detractionem (1 Petr. 2, 1), *et quae sequuntur.*

Argumentum.

1. Synaxes praecedentibus diebus. 2. Diaconus sacerdoti et presbyteris altare circumstantibus aquam lavandis manibus ministrat. 3. Osculum pacis, invitante diacono. 4. Admonitio sacerdotis: Sursum corda. Responsio populi: Habemus ad Dominum. 5. Admonitio: Gratias agamus Domino. Responsio: Dignum et justum. 6. Mentio cum gratiarum actione creaturarum omnium. Trisagium, sive hymnus seraphicus. 7. Invocatio ad consecrationem. 8. Oratio pro viventibus. 9. Mentio mortuorum. Oratio per sanctos. Sanctorum intercessio. Oratio pro defunctis. 10. Utilitas precum pro defunctis. 11—18. Oratio dominica explicatur. 19. Sacerdos clamat: Sancta Sanctis. 20. Psalmista invitans ad communionem. 21. Communio corporis Christi. Quomodo sumenda. Corpus Christi oculis admoveatur. 22. Sanguinis sumptio ex calice. 23. Traditionum custodia.

1. Abunde in praecedentibus synaxibus, Deo clementer largiente, audivistis tum de baptismate, cum de chrismate, et sumptione corporis et sanguinis Christi: nunc ad ea, quae consequuntur, transgredi nos oportet, hodie spiritali institutionis vestrae aedificio coronidem imposituros.

2. Vidistis igitur diaconum, sacerdoti

et presbyteris altare Dei circumstantibus aquam abluendis manibus porrigentem. Nullatenus vero propter corporeas sordes extergendas dabat. Non, inquam, propterea. Neque enim corporis sordes gerentes initio Ecclesiam ingressi eramus. At ea manuum ablutio symbolum est, mundos vos ab omnibus peccatis et praevaricationibus esse debere. Cum enim manus symbolum sint actionis, iis lavandis, puritatem operum eorumque ab omni reprehensione immunitatem significamus. Non audisti beatum David hoc nobis mysterii aperientem, ajentemque: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* (Psal. 25, 6)? Itaque quod manus abluuntur, signum est immunitatis a peccatis.

3. Deinde clamat diaconus: *Vos invicem suscipite, osculemurque mutuo.* Ne osculum illud arbitrere ejusdem ordinis ac moris esse, qualia illa sunt quae inter communes amicos in foro frequentantur. Non est hujusmodi osculum istud. Animas enim mutuo conciliat et miscet, atque omnem illis injuriarum oblivionem spondet. Signum igitur est osculum hoc, animas sibi invicem admisceri, et omnem injuriarum memoriam ablegare. Propterea Christus aiebat: *Si of-*

feras munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque munus tuum ad altare, et vade prius ac reconcilieris fratri tuo, et tunc accedens offer munus tuum (Matth. 5, 23, 24). Igitur osculum reconciliatio est; et propterea sanctum, sicut alicubi beatus Paulus clamabat dicens: *Salutate invicem in osculo sancto* (1. Cor. 16, 20); et Petrus: *In osculo charitatis* (1. Petr. 5, 14).

4. Postea clamat sacerdos: *Sursum corda.* Vere enim in hac perquam maxime tremenda hora, cor sursum habere oportet ad Deum, et non deorsum circa terram et terrena negotia. Idem igitur est ac si praecipiat sacerdos, ut omnes circa illam horam deponant curas vitae hujus et domesticas sollicitudines, habeantque sursum in coelo cor ad clementem Deum. Deinde respondetis: *Habemus ad Dominum*; ei praecepto per eam quam pronunciatis confessionem assentientes. Nemo igitur ita comparatus adsit, ut cum ore dicat: *Habemus ad Dominum*, cogitatione mentem habeat hujus vitae curis occupatam. At enim omni tempore memores esse nos oportet Dei. Quod si propter humanam imbecillitatem impos-

sibile sit, illa tamen maxime hora hoc studiose enitendum est.

5. Post haec sacerdos ait: *Gratias agamus Domino.* Vere enim grates agere debemus, quod cum indigni essemus, ad tantam nos vocavit gratiam; quod, inimici cum essemus, nos reconciliavit (Rom. 5, 10); quod Spiritu adoptionis est dignatus (Ib. 8, 15). Ad haec vos subjicitis: *Dignum et justum.* Dum enim gratias agimus, dignam rem agimus et justam: ipse autem non juste sed praeter justum agens, nobis benefecit, et tantis bonis nos dignos effecit.

6. Facimus deinde mentionem coeli et terrae et maris, solis et lunae, astrorum et totius creaturae tam ratione praeditae quam carentis, visibilis et invisibilis: angelorum, archangelorum, virtutum, dominationum, principatuum, potestatum, thronorum, cherubim multis faciebus praeditorum: quasi dicentes davidicum illud, *Magnificate Dominum mecum* (Psal. 33, 4). Mentionem etiam facimus seraphim [1]) quae in Spiritu

---

[1]) Notandus est hic locus pro doctrina in scholis catholicis admodum vulgata de novem angelorum ordinibus. Quamvis enim singulorum seorsim vel plurium simul mentio fiat et apud patres primorum seculorum et in divinis literis, omnes tamen novem

sancto vidit Isaias thronum Dei circumstantia; et duabus alis faciem tegentia, dua-

ordines hic *primum* simul recensentur. Neque haec enumeratio s. Cyrillo est adscribenda, sed eo longe vetustior existimari debet, cum illam jam in ea liturgia repererit, quam explicandam assumpsit. Praeter Cyrillum seu potius liturgiam vetustissimam ecclesiae hierosolymitanae alii scriptores ecclesiastici jam a sec. 4. omnes novem angelorum ordines numerant, ut constitutiones apostolicae l. 7. c. 35. (l. 8. c. 12 recensent octo ordines, omissis dominationibus, quarum loco legimus *αἰῶνας καὶ στρατιάς;* paulo infra tamen cum his et dominationes nominantur); Athanasius ep. 2. ad Serapionem n. 4, ubi quidem thronos omittit, quos tamen ep. 1. n. 13. commemorat; Ambrosius apol. prophetae David n. 20; Chrysostomus h. 4. in Gen. n. 5; Hieronymus apol. c. Ruf. l. 2. n. 12, cui adjungimus auctorem commentarii in psalmos 33. n. 21; 112. n. 12, qui alias ipsi Hieronymo adscribi solebat; Basilius seleuc. or. 39; Pseudo-Ignatius ep. (interpolata) ad Trallianos n. 5, qui tamen *ἀιώνων μεγαλότητας* addit; et aliis posterioribus ommissis, Gregorius M. Moral. l. 32. c. 25, qui id etiam opportuna collatione ex divinis literis h. 34. in Ev. n. 7. comprobat. Quare haec sententia operibus, quae sub Dionysii Areopagitae nomine circumferuntur, in acceptis referri non debet, licet, post illa celebrior facta sit; sed ea innititur divinis literis patrumque traditione, penes quos non solum singulorum angelorum ordinum mentio, verum etiam omnium disserta enumeratio diu ante vulgatum Dionisyum occurit. Scimus quidem alios

busque pedes, ac duabus volantia, et dicentia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth* (Is. 6, 2 s). Propterea enim traditam nobis ab seraphinis hanc theologiam (seu Dei celebrationem) recitamus, ut communi laudum modulatione cum superioribus mundo exercitibus conjungamur.

7. Deinde, postquam nosmetipsos per has spirituales laudes sanctificavimus, Deum benignum exoramus, ut emittat sanctum Spiritum super (dona) proposita; ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quodcunque attigerit Spiritus sanctus, id sanctificatum et transmutatum est.

8. Post quam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace: pro

---

patres de angelicorum ordinum numero dubios haesisse, alios pauciores novem, plures alios numerasse (cf. Petav. theol. dogm. de ang. l. 2. c. 1), non tamen propterea hanc de novem ordinibus sententiam, quae Scripturae suffragio non penitus destituitur, quaeque penes vetustissimos patres, ut vidimus, invaluit ac demum universis in scholis praevaluit, figmentis vel opinionibus mere scholasticis licet accensere.

recta mundi compositione: pro imperatoribus; pro militibus et sociis: pro iis, qui infirmitatibus laborant; pro his, qui afflictionibus premuntur: et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus.

9. Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis, et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt (oramus); maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.

10. Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo. Novi enim multos ita dicere: Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis seu sine peccatis decedentem [1]), si ejus in

---

[1]) Ad h. l. haec inter alia annotat Touttée: ‘,Cyrilliana ad objectionem responsio tota, eos qui in peccatis decessere spectat, deque iis qui peccatorum expertes sunt silet. Peccatores vero, quos Ecclesiae precibus juvari probat, in communione Ecclesiae et sanctitate mortuos intelligit, ut patet ex n. praec., nam infideles vel qui baptismi (i. e. justificationis)

oratione mentio fiat? An vero, si rex quispiam viros, a quibus offensus fuerit, relegarit in exsilium; posteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerint: nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus: sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis tum pro nobis demereri et propitiare satagentes.

11. Tum vero post haec illam recitamus orationem, quam Salvator propriis suis discipulis tradidit; Deum cum pura conscientia patrem nuncupantes, dicentesque: *Pater noster, qui es in coelis* (Matth. 6, 9). O maximam Dei in homines junctam cum amore clementiam! Tantam his, qui a se defecerunt,

---

gratiam amiserunt, hos indeprecabili damnatione obnoxios pronunciat cat. 1. n. 2. et cat. 15. n. 25, et quidem statim post mortem cat. 18. n. 14. Qui ergo mortui suffragiis Ecclesiae relaxationem a poenis consequuntur, Deum quidem offenderunt sed veniabiliter; similes illis, quos aliquam iram meritos rex non morte sed exsilio damnat, cognatorum precibus facile placabilis. Qua comparatione Cyrillus eos in exsilio a paradiso et coelo, et in poenis versari se existimasse significat."

atque in extremis malis exstitere, injuriarum oblivionem et gratiae participationem indulsit, ut et patrem appellarent. *Pater noster, qui es in coelis.* Coeli autem etiam fuerint ii, qui coelestis imaginem ferunt, in quibus est Deus inhabitans et inambulans.

12. *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctum est natura nomen Dei, sive id dicamus, sive non dicamus. Quia vero per peccantes quandoque profanatur, secundum illud: *Propter vos nomen meum continue blasphematur in gentibus* (Isai. 52, 5); oramus ut in nobis *sanctificetur nomen Dei.* Non quod incipiat sanctum esse quod ante non erat; sed quia in nobis fit sanctum, cum sanctificamur ipsi, et sanctificatione digna facimus.

13. *Veniat regnum tuum.* Mundae animae est dicere cum fiducia: *Veniat regnum tuum.* Qui enim audiverit Paulum dicentem: *Non igitur regnet peccatum in mortali vestro corpore* (Rom. 6, 12); et se ipsum opere, cogitatione ac sermone purum praestiterit, is Deo dicturus est: *Veniat regnum tuum.*

14. *Fiat voluntas tua, quemadmodum in coelo, sic etiam in terra.* Divini ac beati angeli Dei voluntatem Dei faciunt, sicut David in psalmis dicebat: *Benedicite Domi-*

num omnes angeli ejus, potentes robore, facientes voluntates ejus (Psal. 102, 20). Tua igitur oratio vim hanc habet et significationem, quasi dicas: Quemadmodum in angelis voluntas tua fit, sic et super terram in me fiat, Domine.

15. *Panem nostrum substantialem da nobis hodie.* Panis iste communis non est substantialis. Panis vero iste, qui sanctus est, substantialis est; quasi dicas ad substantiam animae directus. Hic panis non in ventrem vadit atque in secessum ejicitur; sed in omnem tui compagem dividitur, ad corporis et animae emolumentum. Illud autem, *hodie*, dicitur pro quotidie; sicut et Paulus ajebat: *Quoad appellatur dies hodiernus* (Hebr. 3, 13).

16. *Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.* Multa enim peccata habemus. Offendimus quippe et verbo et cogitatione, et multa condemnatione digna agimus; ac *si dixerimus quod peccatum non habemus, mentimur* ut ait Joannes (1. ep. 1, 8). Pactum itaque cum Deo inimus, orantes ut nobis condonet peccata, quemadmodum et nos proximis debita remittimus. Perpendentes igitur pro qualibus qualia accipiamus, ne cunctemur;

nec mutuas inter nos offensiones remittere tergiversemur. Quae in nos committuntur offensae, eae parvae, leves et dissolutu faciles. Quas vero in Deum committimus, magnae et solius ejus benignitatis auxilio diluendae. Cave igitur ne propter parva et vilia in te admissa, gravissimorum tibi ipsi peccatorum remissionem apud Deum praecluseris.

17. *Et ne inducas nos in tentationem, Domine.* Idne Dominus orare nos docet, ne ullatenus tentemur? et quomodo alicubi dictum est: *Vir non tentatus, non est probatus* (Eccli. 34. 9, 10)? et iterum: *Summum gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes incideritis varias* (Jac. 1, 2). Verum ingredi in tentationem, nonne fuerit a tentatione submergi? Nam tentatio torrenti ad trajiciendum difficili similis est. Qui igitur in tentationibus non submerguntur, optimi velut natatores trajiciunt, et nulla ratione ab eis pertrahuntur: qui vero tales non sunt, ingressi demerguntur. Qualis, ut exemplo utamur, Judas fuit; qui in avaritiae tentationem ingressus, non enatavit, sed submersus, et corpore et spiritu suffocatus est. Petrus in denegationis tentationem introivit, sed ingressus mersus non est: verum

generose tranans a tentatione liberatus est [1]). Audi rursus alibi incolumium sanctorum chorum, quod a tentatione ereptus sit gratias persolventem: *Probasti nos, Deus; incendisti nos sicut incenditur argentum; induxisti nos in laqueum: posuisti afflictiones super dorsum nostrum; imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium* (Psal. 65, 10—12). Videsne eos fidenter exsultantes quod trajecerint, nec ipsi perfossi [2]) sint? *Et eduxisti nos*, additur *in refrigerium*. In refrigerium ipsos venisse, est, a tentatione liberatos fuisse.

18. *Sed libera nos a malo*. Si illud, *Ne inducas nos in tentationem*, significaret omnino non tentari, non adjecisset, *Sed libera nos a malo*. Malus vero est adversarius daemon, a quo liberari oramus. Tum vero expleta oratione, dicis: *Amen*. Per illud, *Amen*, quod significat *fiat*, quaecunque in

---

[1]) Non negat s. doctor Petrum peccasse sed significare tantum vult, non ita tentatione abreptum subversumque fuisse, ut periculum prompta poenitentia non enataverit, contra ac Judas, qui tentationi ita succubuit, ut etiam desperaverit vitamque laqueo finierit.

[2]) Forte infixi, in laqueo vel in limo profundi.

hac a Deo tradita oratione continentur, obsignans (et assentiens).

19. His peractis dicit sacerdos: *Sancta sanctis.* Sancta sunt, quae (in altari) proposita jacent, recepto Spiritus sancti superventu. Sancti vos quoque, Spiritus sancti dono dignati. Sancta igitur sanctis conveniunt. Deinde vos subjicitis: *Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus.* Revera namque unus est sanctus, natura sanctus. Nos autem etiam sancti; verum non natura, sed participatione et operum exercitio, ac voto.

20. Audivisti deinde vocem psallentis, divina quadam melodia vos ad sanctorum mysteriorum communionem invitantis, ac dicentis: *Gustate et videte, quod bonus est Dominus* (Ps. 33, 9). Ne corporeis faucibus hujus rei judicium aestimationemque permittite. Non, inquam; sed fidei omnis dubitationis experti. Qui enim gustant, non panem et vinum degustare jubentur, sed antitypum [1]) (seu signum et sacramentum) corporis et sanguinis Christi.

---

[1]) *Μὴ τῷ λάρυγγι τῷ σωματικῷ ἐπιτρέπητε τὸ χριτικόν· οὐχὶ ἀλλὰ τῇ ἀνενδοιάστῳ πίστει. Γευόμενοι γὰρ, οὐκ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται*

21. Adiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disjunctis digitis accede; sed

---

γεύσασθαι, ἀλλὰ ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Ne ulla ex hoc loco difficultas oriatur, animadvertatur 1) idem esse sive eucharistia dicatur ἀντίτυπον corporis Christi sive sacramentum corporis Christi. Hinc 2) sicut ex hac loquendi ratione, qua eucharistia dicitur sacramentum corporis Christi, dignosci nequit, utrum is qui ea utitur catholicus sit an lutheranus, calvinianus, zwinglianus etc. ita nec ex ea, qua eucharistia vocatur ἀντίτυπον corporis Christi; quare nimis praecipitanter plures ex adversariis dogmatis catholici ex hac similibusve loquendi formulis colligunt patres, penes quos illae reperiuntur, realem corporis Christi in eucharistia praesentiam negasse. Sicut enim 3) sacramenta possunt esse signa gratia vacua, signa gratiae quondam conferendae ut sacramenta veteris legis, et signa gratia plena, signa quae gratiam quam significant, continent, ita species eucharisticae possent esse signum corporis Christi sed absentis (ut manna), possunt tamen esse etiam signum corporis Christi, sed sub illis latentis, ut linguae igneae super apostolos die pentecostes sedentes signum erant s. Spiritus praesentes. Quare 4) ex contextu, ex aliis ejusdem auctoris locis, ex fide illius ecclesiae, in cujus communione vixit auctor, de quo agitur, judicandum est quo sensu eucharistiam ἀντίτυπον dixerit corporis Christi. Jam vero hisce consultis manifestum est, Cyrillum realem corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentiam credidisse. Eodem igitur sensu eucharistiam appellavit ἀντίτυπον corporis Christi, quo nunc theologi plane catholici illam vocant *sacramentum*

sinistram velut thronum subjiciens dexterae, utpote regem suscepturae: et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: *Amen.* Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris deminutum puta. Dic enim, quaeso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligen-

---

corporis Christi, quo loquendi modo realis praesentia non excluditur, sed significatur Christi carnem praeberi velatam sub visibili signo, specie, symbolo. Fatendum tamen est 6) nunc non facile usurpandum esse hunc loquendi modum, quo panis et vinum dicuntur figura, signum, imago etc. corporis et sanguinis Christi, licet eo hinc inde uterentur patres, quod hisce nominibus sacramentarii, a quibus distare debemus non solum sentiendi sed et loquendi ratione, nunc abutantur. Concludimus verbis Petri venerabilis (adv. petrobrusianos contra id quod dicunt, missam nihil esse etc. Mig. 189, 815), quae omnino sunt ad rem. „Manet, inquit ille, tecta veritas et carnis et sanguinis honesta panis et vini specie, ut et usui humano condescendatur et fides exerceatur et meritum augeatur. Inde est quod sacramentum mysterium, species et figura vocatur, quia intra hoc quod exterior forma nunciat, virtus divina verum corpus et sanguinem Redemptoris occultat.“ Cf. Perpétuite de la foi edit. Mig. t. 2. l. 1. c. 4. ss.

tia teneres, providus ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro ac gemmis longe pretiosius?

12. Tum vero post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus; sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum, dicens *Amen*, sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica [1]). Postremo, exspectans orationem, gratias age Deo, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est.

---

[1]) „Quod Cyrillus praecipit, inquit Touttée in praef. ad h. cat., ut antequam ore sumatur panis sacer, oculis admoveatur, utque postquam fuerit ex calice epotus Christi sanguis, collectus digitis adhaerens labiis mador, oculis, fronti et sensibus applicetur, id cum singulare forte videri possit, aliorum auctorum exemplis est confirmandum. Ac primo Joannes damasc. de fid. orthod. l. 4. c. 13. non oculos solum, sed et labia per osculum et frontem Christi corpori admoveri praecipit: *Τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ἐπιδεξώμεθα · καὶ ἐπιθέντες ὀφθαλμοὺς καὶ χείλη καὶ μέτωπα, τοῦ θείου ἄνθρακος μεταλάβωμεν.* „Crucifixi corpus recipiamus, applicantesque oculos, labia et frontem divinum carbonem

23. Eas traditiones inviolatas retinete; et inoffensos vosmet servate. A communione

sumamus.“ Theoderetus in Cantic. 1, 1: „Consideret quomodo in tempore mysteriorum sponsi membra suscipientes osculamur et circumplectimur et oculis imponimus.“ Ejus moris antiqui testis est Theodorus Phurnes apud Allat. l. 3. de consensu etc. c. 15. De altero usu, collectum e labiis post sumptionem calicis madorem oculis, fronti et reliquis sensibus adhibendi, eum Hierosolymis singularem non fuisse ritum monumenta nonnulla suadent. Nam Cyrillus alex. l. 2. Glaphyrorum in Ex. p. 270. et 271, de Christi sanguine a fidelibus sumpto explicans figuram sanguinis agni domorum postibus illiti, ait portas nostras h. e. sensus Christi sanguine liniri, *θύρας δὲ νοησεις τὰς ἐν ἡμῖν αἰσθήσεις* . . . per quas invadit daemon, nisi Christi sanguine liniantur, *οὐ γὰρ ἦσαν κατακεχρισμέναι τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ*. Quem locum sane prae oculis habuisse videtur Theodorus Balsamon, cum in ep. de jejuniis n. 14. Coteler. monum. t. 2. p. 503. scriberet: *Τῷ αἵματι καὶ τῷ σώματι Χριστοῦ τὰς τῶν αἰσθήσεων παραθύρους χριόμενοι καὶ ἁγιαζόμενοι.* „Inungentes et sanctificantes sensuum nostrorum januas sanguine et corpore Christi.“ Theodorus Studita hunc morem videtur respexisse, dum ait serm. 46: „Neve oculi augusto sanguine piati efferum cernunto.“ Eum quoque prae oculis habuisse censeo Apollinarem seu quisquis est auctor tragoediae Christi patientis ap. Naz. t. 2. p. 272. ajens, centurionem, qui latus Christi perfodit et clamavit: *Filius erat Dei iste*; sanguinem e Christi latere profluentem manibus collegisse et oculis applicuisse.

ne vos abscindite: neque propter peccatorum inquinamentum sacris istis et spiritualibus defraudate mysteriis. *Deus autem pacis sanctificet vos totos; et integrum vestrum corpus, et anima, et spiritus, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (1. Thess. 5, 23). Cui gloria, honor et imperium, cum Patre (et Filio) et sancto Spiritu, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

Ἀρύεταί τε χερσὶ κρουνοῦ, καὶ κόρας
Ἔχρισεν, ὡς ἔοικεν, ὡς ἁγνισμὸ ἔχῃ.
E fonte manibus haurit et inunxit pupas,
Ita ut decebat, sanctitatem inde expetens.

Nihil Rivetum moror, qui ut superstitiosum et praeter Scripturas traducit hunc a Cyrillo, de quo agimus, commendatum morem. Eodem jure omnes ante laudatos auctores accusset. Accuset Gorgoniam, Gregorii naz. sororem, quae corporis et sanguinis Christi particulas, propriis lacrymis mixtas, medicinae in modum laborantibus artubus applicuit: accuset et Gregorium fratrem qui hoc in sorore uti praecipuum fidei et fiduciae in Deum specimen, a Deo ipso per restitutionem sanitatis remuneratum, refert et laudat or. 11."

Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI

DE BAPTISMO[1]).

I. Scriptionis occasio.

Felix sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur; non erit otiosum digestum istud instruens tam eos qui cum maxime formantur, quam et illos qui simpliciter credidisse contenti, non exploratis rationibus traditionum, intentatam probabilem fidem per imperitiam portant[2]). Atque

[1]) Insignem hunc librum Tertullianus adhuc catholicus, proinde ante a. 200. conscripsit, ut pluribus tuetur Lumper hist. theol. crit. de vita etc. ss. PP. p. 6. c. 2. a. 3. §. 3 s. Occassione arrepta a perversa cajanitarum haeresi, quae baptismum rejiciebat, potiores omnes (ut ex capitum indice patebit) de baptismo quaestiones pertractat. Dolendum tamen est, quod opusculum tam egregium errorum nonnullorum naevis asperserit, cujusmodi sunt, haereticorum baptismum esse invalidum; praestare baptismum ad aetatem differre adultam; mulieres valide baptizare non posse, vix enim benigniorem verba ejus admittunt interpretationem etc.

[2]) Sensus est: Inutilis non erit haec disputatio,

adeo nuper conversata isthic quaedam de cajana haeresi vipera, venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens [2]): plane secundum naturam; nam fere viperae, et aspides, ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum [3]) in aqua nascimur; nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integre quidem docendi jus erat, optime norat pisciculos necare, de aqua auferens.

---

hic liber ad instruendos tam eos, qui ad baptismum suscipiendum instituuntur, quam illos, qui simplici credentes corde fidei omni approbatione dignae inhaerent, quin illam ex defectu plenioris notitiae tentaverint seu diligentiori subjecerint examini exploratis rationibus seu fundamentis variarum traditionum.

[2]) Scil. Quintilla, de qua infra loquitur. Cajanae haeresis mentionem facit Tertullianus de praescr. c. 47, ubi de cajanis refert: „Ipsi magnificant Cham, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quae operata sit in ipso . . . hi . . . etiam Judam proditorem defendunt admirabilem illum et magnum esse memorantes propter utilitates, quas humano generi contulisse jactatur etc.“ Hi inter alios errores, teste Augustino, l. de haeres. haer. 15, omnem baptismi vim sustulerunt, ad quem errorem facete hic respicit Tertullianus.

[3]) De hoc nomine Christo tributo audiatur Augustinus (de civ. Dei l. 18. c. 23): „Horum au-

II. Simplicitas operum divinorum pluribus est incredulitatis occasio.

Sed enim quanta vis est perversitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat [1]). Nihil adeo est quod tam obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quae in actu videtur, et magnificentia quae in effectu repromittitur: ut hic quoque quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis exi-

---

tem graecorum quinque verborum *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ*, quod est latine *Jesus Christus Dei Filius Salvator*, si primas literas jungas, erit *ἰχθῦς*, idest *piscis*, in quo nomine intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus h. e. sine peccato esse potuerit." Nos vero secundum *ἰχθῦν* nostrum J. Christum pisciculi vocamur ea de causa, quam hic indicat Tertullianus, quia in aqua renascimur. Eo vero facilius hoc nomen inditum fuit regenitis, quod ipse Christus apostolis dixerit: *Faciam vos fieri piscatores hominum* Matth. 4, 19. comparaveritque Ecclesiam *sagenae missae in mare et ex omnium genere piscium congreganti* (Ib. 13, 47).

[1]) I. e. tanta est haereticorum perversitas, ut ex

stimetur consecutio aeternitatis. Mentior, si non e contrario idolorum solemnia vel arcana de suggestu [1]) et apparatu, deque sumptu fidem et auctoritatem sibi exstruunt. Proh misera incredulitas, quae denegas Deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem! Quid ergo? nonne mirandum et lavacro dilui mortem? Atquin eo magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur: qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus: ceterum, incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. Et sit plane ut putas, satis ad utrumque divina pronunciatio praecucurrit [2]). Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus; et praedifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam si Deus et sapiens et po-

---

ipsis fidei nostrae elementis tela contra eandem fabricari nitatur.

[1]) *Suggestus* idem est ac apparatus, ornatus, pompa.

[2]) Sensus est: Etsi opera Dei vana et impossibilia videantur, praemonuit nos tamen jam antea Deus docens, *quae stulta sunt mundi* se elegisse, *ut confundat sapientes*, et *infirma mundi ut confundat fortia* (1. Cor. 1, 27), et *quae impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum esse* (Luc. 18, 27).

tens, quod etiam praetereuntes eum [1]) non negant, merito in adversariis sapientiae potentiaeque, id est in stultitia et impossibilitate, materias operationis suae instituit: quoniam virtus omnis ex his causam accipit, a quibus provocatur [2]).

III. Aquae praestantia.

Hujus memores pronunciationis tamquam praescriptionis, nihilominus quam stultum et impossibile sit aqua reformari [3]), tractamus. Quid utique ista materia tantae dignationis meruerit officium, ut opinor, auctoritas [4]) liquidi elementi exigenda est: Atquin plurima suppetit, et quidem a primordio; nam unum ex his est, quae ante omnem mundi suggestum impolita adhuc specie penes Deum quiescebant: *In pri-*

---

[1]) *Praetereuntes* i. e. obiter leviterque considerantes.

[2]) Sensus est: Deus sapientiam et potentiam suam in iis, quae his opponuntur i. e. in iis quae stulta et impossibilia videntur, ostendit, quoniam virtus omnis se prodendi causam i. e. occassionem, ansam arripit ex iis, quae illi opponuntur illamque provocant.

[3]) *Reformari* i. e. regenerari.

[4]) *Quid* i. e. cur seu quare. *Auctoritas* i. e. praestantia ac insita veluti dignitas.

mordio, inquit, *fecit Deus coelum et terram. Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebrae erant super abyssum, et Spiritus Dei super aquas ferebatur* (Gen. 1, 1, 2). Habes, homo, in primis aetatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod divini Spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis. Nam et tenebrae totae adhuc sine cultu siderum informes, et tristis abyssus, et terra imparata, et coelum rude: solus liquor, semper materia perfecta, laeta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subjiciebat. Quid? quod exinde dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis Deo constitit [1]). Nam ut firmamentum coeleste suspenderet in medietate, distinctis aquis fecit, et ut terram aridam suspenderet, segregatis aquis expediit: ordinato dehinc per elementa mundo cum incolae darentur, primis aquis praeceptum est animas pro-

---

[1]) *Modulatricibus aquis. Modulari* est rem concinne, ad certum *modum* seu elegantiorem *modulum* ac mensuram disponere. Unde *modulatrices aquae* hic vocantur, quoniam ex ipsis velut modulantibus ac praescriptos modulos cuilibet rerum speciei praebentibus, universum hoc digestum atque coordinatum fuit. Ita Corbinianus Thomas O. S. B. in h. l.

ferre. Primus liquor quod viveret edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquae animare noverunt [1]). Nam ipsius quoque hominis

---

[1]) Similia leguntur apud Auctorem op. de sacr. l. 3. c. 1. n. 3. et Chrysostomum, qui hom. in s. pascha (Mig. patrol. gr. t. 52. p. 771). n. 5. haec praeclara habet: „Tunc dixit (Deus): *Producant aquae reptilia animarum viventium* (Gen. 1, 20): nunc autem non reptilia sed spiritualia dona fundunt. Tunc aquae pisces rationis expertes profuderunt; nunc autem rationabiles et spirituales pisces nobis pepererunt, quos apostoli piscati sunt. *Venite*, inquit, *post me et faciam vos piscatores hominum* (Matth. 4, 19). Novus sane piscandi modus. Nam piscatores educunt pisces ex aquis et captos enecant: nos autem in aquas injicimus et qui capiuntur vita donantur." His similia habet h. de resur. et adv. ebriosos n. 4. (Mig. t. 50. p. 439). Severianus vero gabalorum episcopus ita (or. 4. de mundi creatione n. 2) disserit: „Quia igitur per aquas primo vitam mundo daturus erat, primo aquis praecipit, ut viviparam naturam producant, ut discas unde radix vitae sit. Ego cum video eos, qui illuminati fuere ex sanctis aquis exire, qui in baptismum cum multis malis quasi reptilia ingressi sunt et cum vita aeterna sunt egressi, video legislatorem dicentem: Educant aquae ea quae tunc reptilia erant, nunc anima vivens sunt. Undenam hoc palam nobis erit? Quia ii qui accedunt ad lavacrum, ob priora peccata reptilium nomen accipiunt. Exierunt multi ad baptismum Joannis; accedentibus dicit: *Serpentes, genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira* (Matth. 3, 7)? Cum anima, quae multis

figulandi opus sociantibus aquis absolutum est; de terra materia convenit, non tamen habilis, nisi humecta et succida, quam scilicet ante quartum diem segregatae aquae in stationem suam superstite humore limo [1]) temperarant. Si exinde universa vel plura prosequar, quae de elementi istius auctoritate commemorem, quanta vis ejus aut gratia! quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum [2]) mundo ferat! vereor ne laudes aquae potius quam baptismi rationes videar congregasse, licet eo plenius docerem, non esse dubitandum, si materiam quam in omnibus rebus et operibus suis Deus disposuit, etiam in sacramentis propriis parere [3])

---

annis in nequitia vixit, in baptismum intrat et improbitate deposita egreditur, vide annon operibus resplendeat illa vox dominica, quae ait: *Educant aquae reptilia animarum viventium et volatilia volantia?* Duplicem namque gratiam accipit is, qui salutem consequitur, nempe et vivificatur anima, et volatilis efficitur et ad coelorum fornices attingit, cum angelis versatur et cum coelesti ordine locum habet."

[1]) *Limo* graeca phrasi pro in limum, in quem terra ex superstite humore aqueo emollita fuerat. Corb. Thomas in h. l.

[2]) *Quot ingenia* scil. quot aquae dotes, proprietates; quot *officia*, usus; *quantum instrumentum* ad infinitos prope usus et effectus.

[3]) *Parere* i. e. apparere.

fecit: si quae vitam terrenam gubernat, et in coelesti procurat [1]).

IV. Omnis aqua ad baptismum idonea.

Sed ea satis erit praecerpsisse, in quibus et ratio baptismi recognoscitur prima illa, qua jam tunc etiam ipso habitu praenotabatur ad baptismi figuram, Dei Spiritum, qui ab initio supervectabatur super aquas, intinctos reformaturum [2]). Sanctum

[1]) *In coelesti procurat* i. e. ad coelestem inservit vitam.

[2]) Spiritum Dei aquis in mundi primordiis incubantem figuram fuisse s. Spiritus baptismi aquis vim sanctificatricem indentis non solus Tertullianus docet. Idem enim docet Ambrosius supra de mysteriis c. 3. n. 9. et iterum de Spiritu s. l. 2. prol. n. 1: „De Spiritu (sancto) dictum est: *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (Gen. 1, 2). Et bene in exordio creaturae baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari.“ Docet Hieronymus ep. ad Oceanum 69. al. 83. n. 6: „Rudis mundus, nec dum sole rutilante, nec pallente luna, nec astris micantibus, incompositam et invisibilem materiam abyssorum magnitudine et deformibus tenebris opprimebat, solum Spiritus Dei in aurigae modum super aquas ferebatur et nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.“ Docet Theodoretus ad interrog. 8. in Gen.; Procopius gazaeus in Gen. 1, 2. qui ita scribit: „Quidam perhibent statim a jactis mundi fundamentis gratiam sacri baptismatis denunciari.

autem utique super sanctum ferebatur, aut ab eo quod superferebatur id quod ferebat sanctitatem mutuabatur. Quoniam subjecta quaeque materia ejus, quae desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maxime corporalis spiritalem, et penetrare et insidere facilem per substantiae suae subtilitatem. Ita de sancto sanctificata natura aquarum, et ipsa sanctificare concepit. Nemo dicat: Numquid ipsis enim aquis tinguimur, quae tunc in primordio fuerunt? non utique ipsis, nisi ex ea parte qua genus quidem unum, species vero cumplures. Quod autem generi attributum est, etiam in specie redundat. Ideoque nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur: nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit: nisi et ille spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus sa-

---

Hinc fit ut nostri mundatio vel purificatio potius aqua quam alio elemento perficiatur. Principium siquidem, ut inquiunt, mundi est aqua, et principium Evangelii Jordanis.“ Augustinus l. 2. ad Simplic. q. 1. n. 5. Hinc et Ecclesia in benedictione fontis baptismatis orat: „Deus cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet etc.“

lutis, aut minus retulit. Igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso; et ita sanctificatae, vim sanctificandi combibunt. Quamquam ad simplicem actum competat similitudo [1]), ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriae aut stupri aut fraudis: ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur: tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum [2]), et spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritaliter mundatur.

---

[1]) *Ad simplicem actum* i. e. simplici actui ablutionis similitudo competit illius effectus, quem intus in anima efficit.

[2]) Respicit hic piscinam, in qua angeli interventu qui prior descendisset in aquam sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate (Joan. 5, 4).

V. Majori jure vim expiandi peccata christiani quam gentiles aquae tribuunt.

Sed enim nationes extraneae ab omni intellectu spiritalium potestatem eadem efficacia idolis suis subministrant: sed viduis aquis sibi mentiuntur [1]). Nam et sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mithrae: ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt: ceterum villas, domos, templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim: certe ludis apollinaribus et eleusiniis tinguntur; idque se in regenerationem et impunitatem perjuriorum suorum agere praesumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquis, quod propria materia sit abluendi, in auspicia emundationis blandiuntur, quanto id verius aquae praestabunt per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quae potior religio quam Dei vivi? Quo agnito, hic quoque studium diaboli reco-

[1]) Sensus est: Etiam infideles, qui carent lumine fidei, eandem sanctificandi potestatem per aquas suis attribuunt idolis; sed cum eorum aquae sint *viduae* i. e. omni sanctificandi virtute destitutae, decipiuntur.

gnoscimus res Dei aemulantis, cum et ipse baptismum in suis exercet. Quid simile? Immundus emundat, perditor liberat, damnatus absolvit: suam videlicet operam destruet diluens delicta, quae inspirat ipse? Haec quidem in testimonium posita sunt repellentibus fidem, si minime credant rebus Dei, quarum affectationibus apud aemulum [1]) Dei credunt. Annon et alias sine ullo sacramento immundi spiritus aquis incubant, affectantes illam in primordio divini Spiritus gestationem? Sciunt opaci quique fontes et avii quique rivi, et in balneis piscinae, et euripi in domibus vel cisternae et putei, qui rapere dicuntur, scilicet per vim spiritus nocentis. Nam et enectos et lymphatos et hydrophobos vocant, quos aquae necaverunt, aut amentia vel formidine exercuerunt [2]).

[1]) *Aemulum* i. e. diabolum.

[2]) Sensus est: Immundum spiritum aquis incubare sciunt i. e. testes sunt fontes, avii rivi, *piscinae in balneis* i. e. balnea frigida (piscinae enim non solum vivaria piscium dicebantur, sed etiam aquae frigidae ad natationes aut ablutiones in locum satis amplum et undique clausum velut artificialem quendam locum collectae, licet ceteroquin piscibus destitutae) et *euripi in domibus* i. e. fossae atque incilia seu aquarum ex aquaeductibus receptacula, vel cisternae et putei, in quibus homines per daemonum

Quorsum ista retulimus? ne quis durius credat angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cum angelus malus profanum commercium ejusdem elementi in perniciem hominis frequentet. Angelum aquis intervenire si novum videtur, exemplum futuri praecucurrit. Piscinam Bethsaidam angelus interveniens commovebat (Joan. 5): observabant qui valetudinem querebantur. Nam si quis praevenerat descendere illuc, queri post lavacrum desinebat. Figura ista [1]) medicinae corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis et angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc ae-

---

vim corripi nonnunquam vesano furore solent ac humi praecipitari, unde arreptitii dicuntur. Necant etiam, amentia (lymphaticos) et timore (hydrophobos, qui scil. aquam timent) replent.

[1]) Piscinam illam, cujus mentio fit Joan. 5, 1 ss., figuram esse baptismi communis est sententia patrum. Docet hoc supra Ambrosius de mysteriis c. 4. n. 22. s. et iterum de Spiritu s. l. 1. c. 7. n. 88: Quid in hoc typo angelus nisi descensionem s. Spiritus nunciabat, quae nostris futura temporibus, aquas sacerdotalibus invocata precibus consecraret?“

ternam reformant: qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conser-

---

Idem pluribus exponit auctor op. de sacramentis (inter op. s. Ambrosii) l. 2. c. 2, sed prae ceteris Chrysostomus ut hom. 1. ad illumin. n. 3; h. in s. pascha n. 5. h. adv. ebriosos et de resurr. (Mig. 50), ubi inter alia haec habet n. 4: „Descendebat igitur angelus in piscinam et aquam movebat et sanabatur unus: descendit Dominus angelorum in Jordanem et aquam movit atque universum orbem terrarum sanavit . . . Licet decem, licet viginti, licet centum, licet decies mille, licet universum orbem terrarum immiseris in piscinam, non consumitur gratia, non exhauritur donum, non latices inquinantur etc.“ Praeclare vero de eadem disserit h. 36. al. 35. in Joan. n. 1: „Futurum baptisma, inquit, dandum erat, plenum virtute et gratia maxima, baptisma, quod peccata omnia ablueret, quod ex mortuis vivos redderet. Haec ergo ut in imagine depinguntur in piscina et in aliis multis. Et primo quidem aquam dedit, quae corporum maculas ablueret sordesque non veras, sed tales existimatas, ex funere nempe, ex lepra et similes; multaque videre est eadem de causa in veteri lege per aquam mundata . . . Deinde varias infirmitates per aquam solvi curat. Ut enim nos Deus ad baptismi gratiam propius reduceret, non jam maculas solum sed et morbos sanat. Imagines enim, quae propius ad veritatem accedunt, et in baptismate et in passione et in aliis magis conspicuae sunt quam vetustiores . . . Et angelus descendens turbabat aquam et sanandi vim indebat ipsi, ut discerent judaei, angelorum Dominum multo magis posse animae morbos omnes curare. Sed

vant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur et poena. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat: imago in effigie, similitudo in aeternitate censetur [1]). Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum.

---

quemadmodum hic aquarum natura non simpliciter curabat, alioquin id semper faceret, sed angeli operatione id fiebat: sic in nobis non aqua simpliciter operatur, sed postquam Spiritus gratiam acceperit, tunc solvit omnia peccata . . . Nec dicere possumus: Dum ego accedo, alius ante me descendit. Sed si totus orbis venerit, gratia non consumitur, neque vis vel operatio deficit, sed semper eadem manet. Ac quemadmodum solares radii quotidie illuminant, nec absumuntur, neque quod multis subministrentur, lucis quidpiam amittunt, sic imo multo minus Spiritus operatio minuitur a multitudine accipientium."

[1]) Haec verba ita explicat Corbinianus Thomas: „Imago Dei homines sumus in *effigie*, quamdiu *videmus eum per speculum in aenigmate, similitudo* efficimur, cum *facie ad faciem* (1. Cor. 13, 12). Nam *scimus* (ait Joan. 1. ep. 3, 2) *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* nimirum tunc quando *nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam Spiritu Domini* (2. Cor. 3, 18). Atque sic demum intelligendum est istud Tertulliani:

VI. Per baptismum ad majora s. Spiritus dona praeparamur.

Non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati, sub angelo Spiritui sancto praeparamur [1]). Hic

---

Imago *in effigie*, similitudo *in aeternitate.*" Illud *in effigie* referendum ad corpus videtur vel ad totam naturam humanam, adeo ut sit sensus: Effigies in corpore (vel si mavis in natura humana) censetur seu consideratur, consistit, secundum ea, quae scribit de resurr. carnis c. 6, ubi de creatione hominis disserit. „Recogita, inquit, totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa in primis affectione, quae lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebat, Christus cogitabatur futurus, quod et limus et caro sermo, quod et terra tunc. Sic enim praefatio Patris ad Filium: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus* (Gen. 1, 26 s.). Id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scil. Christi . . . Ita limus ille, jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus." Similitudo vero, ut patet ex contextu, consistit in eo, quod homo amisit per peccatum, quodque restituitur per baptismum, in gratia scil. s. Spiritus, quae est semen et fons vitae aeternae i. e. beatae, in qua *similes* Deo erimus, quoniam eum videbimus sicut est, hinc merito *similitudo in aeternitate consetur.*

[1]) Haec eo sunt intelligenda sensu, quo illa Act. 8, 15: *Oraverunt* (Petrus et Joannes in Sama-

quoque figura praecessit. Sic enim Joannes ante praecursor Domini fuit, praeparans vias ejus: ita et angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre et Filio et Spiritu sancto. Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis, dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos et sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostrae etiam numerus nominum divinorum? Cum autem sub tribus et testatio fidei et sponsio salutis pignerentur [1]), necessario adjicitur Ecclesiae mentio: quoniam ubi tres, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quae trium corpus est.

---

riam missi) *pro ipsis, ut acciperent Spiritum s., nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum s.* scil. non quomodcunque, cum jam gratiam s. Spiritus acceperint per baptismum, sed ejus plenitudinem. Nomine autem *angeli baptismi* innui videtur baptismi minister.

[1]) *Pignerentur* i. e. oppignorentur, quod verbum sensu passivo hic accipit auctor noster. Sensus autem est: Cum invocatis tribus divinis personis testium instar baptismo dato sponsio seu salutis promissio, et baptismo accepto fides nostra pignore velut obfirmetur, mentio merito fit Ecclesiae, extra

VII. De unctione post baptismum adhiberi solita.

Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo Aaron a Moyse unctus est, unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre, sicut in Actis: *Collecti sunt enim vere in ista civitate adversus sanctum Filium tuum, quem unxisti* (Act. 4, 27). Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur.

VIII. De sacramento confirmationis.

Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum. Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere, et concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantae claritatis animare; Deo autem in suo

---

quam nec salus nec fides vera et quae trium personarum divinarum est *corpus* i. e. regnum, templum.

organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem [1])? Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Joseph, Ephraim et Manassem, Jacob capitibus impositis et intermutatis manibus benedixerit (Gen. 48, 13 ss.), et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes [2]), jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora [3]) libens a Patre descendit; super baptismi aquas, tamquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit, columbae figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus sancti declararetur per animal

---

[1]) Sensus est: Si humanae industriae licet aerem in aquam i. e. in organa hydraulica (de quibus cf. Vitruvium l. 10. architect.) arcessere, et modulantibus digitis (artis musicae periti) ita densare et concorporare, ut in clarissimum exeat sonum multiplici varietate distinctum, quo velut illa animentur, a fortiori licebit Deo per manus sanctas (i. e. sacras ratione virtutis sanctificantis, quae illorum ministerio in animas transfunditur) in suo organo, homine scil. sublimitatem modulari spiritalem i. e. hominem provehere ad statum perfectiorem. Cf. Rigault in h. l.

[2]) *Deformantes* i. e. praeformantes Christum seu melius crucem Christi.

[3]) *Benedicta corpora* i. e. baptizatorum.

simplicitatis et innocentiae, quod etiam corporaliter ipso felle careat columba: ideoque. *Estote*, inquit, *simplices sicut columbae* (Matth. 10, 16); ne hoc quidem sine argumento praecedentis figurae. Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) mundi [1]), pacem coelestis irae praeco columba terris annunciavit dimissa ex arca, et cum olea reversa (Gen. 8, 11); quod signum etiam apud nationes paci praetenditur: eadem dispositione spiritalis effectus, terrae, id est, carni nostrae, emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emissa de coelis, ubi Ecclesia est arca figurata [2]). Sed mundus

---

[1]) Diluvium baptismi esse figuram ac symbolum alii quoque veteres tradunt ut s. Cyprianus ep. 74. ad Pompejum n. 11; ep. 76. n. 2; Parmenianus probante Optato milev. de schism. donatistarum l. 1. n. 5; Hieronymus ep. 10. n. 1; ep. 69. n. 6; Ambrosius supra de mysteriis c. 8. n. 10 s.: in Luc. l. 10. n. 48; Auctor op. de sacramentis l. 1. c. 6. n. 23; l. 2. c. 1. et serm. 10. n. 4; s. 23. n. 4 (inter serm. s. Ambrosio adscriptos patr. Mig. t. 17); Pseudo-Athanasius q. 101. in ep. Pauli (Mig. patrol. gr. 28, 759); Gregorius Naz. or. 40; Augustinus l. 12. c. Faustum cc. 14, 17; ep. 164. al. 99. n. 16.

[2]) Sensus est: Ecclesia militans in terris perse-

rursus delinquit, quo male comparetur baptismus diluvio: itaque igni destinatur, sicut et homo qui post baptismum delicta restaurat; ut hoc quoque in signum admonitionis nostrae debeat accipi.

IX. Variae baptismi figurae.

Quot igitur patrocinia naturae, quot privilegia gratiae, quot solemnia disciplinae, figurae, praestructiones, precationes religionem aquae ordinaverunt[1])! Primo quidem cum populus, de Aegypto libere expeditus, vim regis Aegypti per aquam transgressus evadit, ipsum regem cum totis copiis aqua exstinxit; quae figura[2]) manifestior in baptismi sacramento? Liberantur de seculo nationes per

---

cutionum undis agitata figuram arcae gerit in coelis i. e. apud Deum et beatos in coelo secura fruentes tranquillitate. Cf. Lacerda in h. l.

[1]) *Religionem aquae ordinaverunt* i. e. aquae (baptismi) sanctitatem praefigurarunt, praemonstrarunt.

[2]) Hac figura maxime delectantur patres ad baptismi virtutem illustrandam. Ea utitur s. Cyprianus ep. 76. ad Magnum n. 15. „Quod si aliquis, inquit, in illo movetur, quod quidam de iis, qui aegri baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur, sciat diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere, in baptismo vero omne nequitiae suae virus amittere. Quod exemplum cernimus

aquam scilicet, et diabolum, dominatorem pristinum, in aqua oppressum derelinquunt.

---

in rege Pharaone, qui diu reluctatus et in sua perfidia demoratus tamdiu resistere potuit et praevalere, donec ad aquam veniret: quo cum venisset et victus est et exstinctus . . . Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus, et cum exire se et homines Dei dimittere saepe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, et id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis et fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus et fidere, quia illic diabolus opprimitur, et homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur." Utuntur ea s. Cyrillus hieros. supra in cat. myst. 1; s. Ambrosius supra de myst. c. 3. n. 12. et passim alibi, ut de officiis ministr. l. 3. c. 18. n. 108; ep. 19. n. 2; ep. 70. n. 24; apol. prophetae David c. 8. n. 43; auctor op. de sacr. l. 1. c. 4, 6; tract. de 42 mansionibus filiorum Israel mans. 7; serm. 12. n. 5; expos. Apoc. de vis. 3. (omnia in append. op. s. Ambr. patrol. Mig. t. 17); hinc in vetusto hymno (ib. n. 62. p. 1207), qui parum mutatus habetur in brev. rom. ad vesperas tempore paschali, canitur:

Ad coenam agni providi
Et stolis albis candidi
Post transitum maris rubri
Christo canamus principi.

Utuntur hac figura praeterea Theophilus caesar. in ep. de pasch., quae illi a nonnullis adscribitur (Mig. patrol. gr. 5, 1369); s. Zeno veron. l. 2.

Item aqua de amaritudinis vitio in usum commodum suavitatis Mosei ligno remediatur (Ex. 15, 23). Lignum illud erat Christus, venenatae et amarae retro naturae venas in saluberrimas aquas baptismi scilicet ex sese remedians [1]). Haec est aqua, quae de comite petra populo defluebat. Si enim

---

tr. 54 et 63; s. Gaudentius brixianus s. de Ex. lectione (Mig. 20, 849 s.); s. Joannes Chrys. h. in dictum Ap. *Nolo vos ignorare* etc. (1. Cor. 10, 1.) n. 4. (Mig. 51, 247); Theodoretus qui in 1. Cor. 10, 1 ss. sic habet: „Illa nostrorum typus erant. *Mare* enim imitabatur lavacrum, *nubes* autem gratiam Spiritus; *Moses* vero sacerdotem, *virga* crucem, *Israel* transmittens eos qui baptizantur; *persequentes* vero *aegyptii* figuram daemonum implebant, ipse autem Pharao imago erat diaboli. Post transitum enim israelitae ab aegyptiorum potestate liberati sunt.“ S. Hieronymus ep. 69. n. 6; Pseudo-Athanasius q. 101. in ep. Pauli (Mig. 28, 759); Gregorius M. qui ita ad Theodistam (l. 9. ep. 39) scribit: „Qui ergo dicit peccata in baptismo funditus non dimitti, dicat in mari rubro aegyptios non veraciter mortuos.“ Basilius h. 13. in s. baptisma n. 2; Augustinus l. 83 qq. q. 61. n. 2; de fide et op. c. 11; de catechiz. rud. c. 20. n. 34; s. de cataclysmo n. 4. (qui tamen est dubius); s. 4. al. 44. n. 9. Caesarius s. 10.

[1]) Ad hoc factum tamquam baptismi typum provocant s. Ambrosius supra de mysteriis c. 3. n. 14. et auctor op. de sacr. l. 2. n. 4. n. 12.

petra Christus (1 Cor. 10, 4), sine dubio aqua in Christo baptismum videmus benedici [1]). Quanta aquae gratia penes Deum et Christum ejus est ad baptismi confirmationem! Nunquam sine aqua Christus. Siquidem et ipse aqua tinguitur: prima rudimenta potestatis suae, vocatus ad nuptias, aqua auspicatur; cum sermonem facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam: cum de agape docet, aquae calicem pauperi oblatum inter opera dilectionis probat: apud puteum vires resumit; super aquam incedit; libenter transfretat; aquam discentibus ministrat: perseverat testimonium baptismi usque ad passionem; cum deditur in crucem, aqua intervenit (sciunt Pilati manus); cum vulneratur, aqua de latere prorumpit (scit lancea militis).

---

[1]) „Locus sane obscurus, inquit Corbinianus Thomas. Excidisse videtur quidpiam, quod omnino suppleudum. Itaque sic legendum puto: *Aqua in Christo*, in quo *baptismum videmus benedici*, qui sensus satis planus est. Quid vero istud, *baptismum benedici*? Enim vero vel de antiquissimo illo ritu ad nostra usque tempora perseverante scil. benedictione ipsius fontis baptismatis, quae in sabbatho s. et vigilia Pentecostes fieri solet, vel de ipsa *forma baptismi* intelligi potest."

X. De baptismo s. Joannis.

Diximus quantum mediocritati nostrae licuit de universis, quae baptismi religionem struunt, nunc ad reliquum statum ejus, aeque ut potero, progrediar de quaestiunculis quibusdam. Baptismus ab Joanne denunciatus jam tunc habuit quaestionem, ab ipso quidem Domino propositam Pharisaeis, coelestisne is baptismus esset, an vero terrenus (Matth. 21, 24 ss.)? De quo illi non valuerunt constanter [1]) respondere, utpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porro, quantula fide sumus, tantulo et intellectu possumus aestimare, divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen non et potestate, quod et Joannem a Domino missum legimus in hoc munus, ceterum humanum conditione. Nihil enim coeleste praestabat, sed coelestibus praeministrabat, poenitentiae scilicet praepositus, quae est in hominis potestate. Denique legis doctores et Pharisaei, qui credere noluerunt, nec poenitentiam egere. Quod si poenitentia humanum est, et baptismus ipsius ejusdem conditionis fuerit necesse est: aut daret et Spi-

[1]) *Constanter* i. e. continuo, statim.

ritum sanctum et remissionem delictorum, si coelestis fuisset [1]). Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. Etiam ipse Dominus, nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, aliter negavit Spiritum descensurum: id quod Dominus nondum conferebat, servus utique praestare non posset. Adeo postea in actis apostolorum invenimus. quoniam qui Joannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem noverant (Act. 19, 2. s.). Ergo non erat coeleste, quod coelestia non exhibebat; cum ipsum quod coeleste in Joanne fuerat, spiritus prophetiae, post totius spiritus in Dominum translationem usque adeo defecerit, ut quem praedicaverat, quem advenientem designaverat, postmodum an ipse esset, miserit sciscitatum [2]). Agebatur

[1]) Sensus est: Si baptismus Joannis coelestis fuisset, dedisset virtute sibi propria et insita (i. e. ex opere operato) remissionem peccatorum et Spiritum s., sed cum tantum esset baptismus poenitentiae, ad hanc scil. excitandam, fovendam ac profitendam, ejus susceptio actus erat tantum humanus sicut ipsa poenitentiae actio (salutaris utique et ad justificationem disponens).

[2]) Censuit Tertullianus non solum hic sed et de praescr. c. 8. et c. Marc. l. 4. c. 18. occassione eorum, quae leguntur Matth. 11, 2 ss. de legatione

itaque baptismus poenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae. Nam quod praedicabat baptismum poenitentiae in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciatum est. Si quidem poenitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam praeparare: qui autem praeparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non esse coelestia, sed Christi, dicendo: *Qui de terra est, de terra loquitur: qui de supernis venit, super omnes est* (Joan. 3, 31); item in sola se poenitentia tinguere, venturum mox qui tingueret in spiritu et igni. Scilicet, quia vera et stabilis aquae fides qua tinguitur in salutem [1]), si-

---

Joannis ad Christum, praecursorem Domini ita a Spiritu prophetico fuisse desertum ut, licet ante tam aperte professus sit J. Christum esse Messiam, de hoc postmodum dubitaverit. Verum plane immerito. Communior enim et omnino praeferenda est aliorum patrum et interpretum sententia, Joannem nunquam de hac veritate dubitasse, sed ejus discipulos, quos propterea ad Christum interrogaturos misit, ut hujus praesentia et miraculis coram patratis de divina ejus missione plane convincerentur.

[1]) Censet Rigault legendum esse, *vera et stabilis fides* (i. e. vera et stabili fide praeditus) *aqua tinguitur in salutem*, cui lectioni sequens antithesis favet.

mulata autem et infirma igni tinguitur in judicium.

XI. Christus per apostolos baptizabat, sed baptismo Joannis ante passionem suam.

Sed ecce, inquiunt, venit Dominus, et non tinxit; legimus enim: *Et tamen is non tinguebat, verum discipuli ejus* (Joan. 4, 2); quia revera ipsum suis manibus tincturum Joannes praedicasset. Non utique sic intelligendum est, sed simpliciter dictum more communi. Sicut est verbi gratia: Imperator proposuit edictum, aut, praefectus fustibus cecidit: numquid ipse proponit, aut numquid ipse caedit? semper is dicitur facere, cui praeministratur. Ita erit accipiendum: Ipse vos tinguet, pro eo quod est, per ipsum tinguemini, vel in ipsum. Sed ne moveat quosdam, quod non ipse tinguebat. In quem enim tingueret? in poenitentiam? quo ergo illi praecursorem? in peccatorum remissionem, quam verbo dabat? in semetipsum? quem humilitate celabat; in Spiritum sanctum, qui nondum a Patre descenderat? in Ecclesiam, quam nondum apostoli struxerant? Itaque tinguebant discipuli ejus ut ministri, ut Joannes ante praecursor, eodem

baptismo Joannis [1]), ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec in-

---

[1]) *Baptismo Joannis.* Hisce verbis hanc subjicit Th. Corbinianus annotationem: „Itaque in ea opinione erat Tertullianus, apostolos ante passionem et resurrectionem nonnisi baptismum Joannis dispensasse, baptismum vero Christi primum postea institutum fuisse, ut post pauca explicatius affirmat. Sane autem non defuere ex ss. patribus, qui hanc Tertulliani opinionem sectarentur et maxime s. Chrysostomus h. 28. in Joan. 3; s. Leo M. qui in ep. 4. ad episc. Siciliae ita scribit: „Ipse Dominus J. C. postea quam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum praesules docebantur, et formam et potestatem tradidit baptizandi dicens: *Euntes docete omnes gentes* etc., de quo utique eos etiam ante passionem potuisset instituere, nisi proprie voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse.“ Atque hanc sententiam theologorum nonnulli deinceps secuti sunt, et illustr. Melch. Canus l. 8. de locis theol. c. 5. in eandem valde inclinat. Verum s. Thomas Aq. 3. p. q. 66. a. 2 contrariarum docet, secutus Augustinum suum, qui in ep. ad Seleucum (265. al. 108) ita fatur n. 5: „Baptizabat Christus, non per seipsum sed per discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos sive baptismo Joannis sive, quod magis credibile est, baptismo Christi;“ quod posterius etiam in tr. 5. et 13. in Joan. et l. de orig. animae l. 3. c. 9. absolute affirmat. Si igitur

structa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem: quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius.

XII. De apostolorum salute non dubitandum etiamsi baptizati non fuissent a Christo.

Cum vero praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronunciatione Domini, qui ait: *Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam* (Joan. 3, 5), suboriuntur scrupulosi, imo temerarii retractatus quorundam, quomodo ex ista praescriptione apostolis salus competat, quos tinctos non invenimus in Domino, praeter Paulum; imo cum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut praejudicatum esse de ceterorum periculo, qui careant aqua Christi, ut praescriptio salva sit, aut rescindi praescriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audivi, Domino teste, ejusmodi, ne quis me tam perditum existimet, ut ultro

---

apostoli baptismum Christi hoc adhuc vivente acceperant, haud dubium est eos porro nonnisi eodem baptismo alios quoque abluisse. Igitur et apostolos sentit hunc, quem acceperant, baptismum Christi suis porro etiam ante passionem dispensasse.“

exagitem libidine stili, quae aliis scrupulum incutiant. Et nunc illis, ut potero, respondebo, qui negant apostolos tinctos [1]). Nam si humanum Joannis baptismum inierant, et dominicum desiderabant, quatenus unum baptismum definierat ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti: *Qui semel lavit, non habet necesse rursum* (Ib. 13, 10), quod utique non tincto non omnino dixisset: et haec est probatio exserta adversus illos, qui adimunt apostolis etiam Joannis baptismum, ut destruant aquae sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini non praeparatam, id est baptismum Joannis, quae ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus, nullius poenitentiae debitor, tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo? alii tincti non sunt: non tamen comites Christi, sed aemuli fidei, legis doctores et Pharisaei. Unde et suggeritur, cum

---

[1]) Proponit quidem Tertullianus quaestionem, utrum apostoli fuerint baptizati, sed eam non solvit; probat tantum admodum probabile esse, apostolos baptismo saltem Joannis fuisse tinctos, eosque etiamsi baptizati non fuerint, vel merito fidei vel familiaritatis cum Christo praerogativa certo esse consecutos salutem.

adversantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur tinctos fuisse, nec cum aemulis suis sapuisse, maxime quando Dominus, cui adhaerebant, testimonio Joannem extulisset: *Nemo*, dicens, *major inter natos feminarum Joanne baptizatore* (Matth. 11, 11). Alii plane satis coacte injiciunt, tunc apostolos baptismi vicem implesse, cum in navicula fluctibus aspersi operti sunt; ipsum quoque Petrum per mare ingredientem satis mersum. Ut opinor autem, aliud est aspergi vel intercipi violentia maris. aliud tingui disciplina religionis. Ceterum navicula illa figuram Ecclesiae praeferebat, quod in mari, id est seculo, fluctibus, id est persecutionibus et tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compescat seculum, et tranquillitatem suis reddat. Nunc sive tincti quoquo modo fuerunt, sive illoti perseveraverunt, ut et illud dictum Domini de uno lavacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet; de salute tamen apostolorum satis temerarium est aestimare, quia illis vel primae allectionis, et exinde individuae familiaritatis praerogativa compendium baptismi conferre posset, cum illi, opinor, sequeban-

tur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur [1]). *Fides tua te,* ajebat, *salvum fecit* (Marc. 10, 52), et: *Remittuntur tibi peccata* (Luc. 5, 20): credenti utique, nec tamen tincto. Id si apostolis defuit, nescio; quorum fides uno verbo Domini suscitata teloneum dereliquit. patrem et navem et artem, qua vitam sustentabat, deseruit, patris exsequias despexit: summum illud Domini praeceptum, *Qui patrem aut matrem mihi praetulerit, non est me dignus* (Matth. 10. 37), ante perfecit, quam audivit.

XIII. Baptismi necessitas.

Hic ergo scelestissimi illi provocant quaestiones. Adeo, dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam et Abraham nullius aquae nisi fidei sacramento Deo placuit. Sed in omnibus posteriora concludunt, et sequentia antecedentibus praevalent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in na-

---

[1]) Variae sunt hujus loci lectiones. Praeter eam quam probat Rigault nosque sumus amplexi, est altera Leopoldi, qui ita legit: *Opinor, sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur.*

tivitatem, passionem resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda, nec potentiam habuit sine sua lege. Lex enim tinguendi imposita est, et forma praescripta. *Ite*, inquit, *docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. 28, 19). Huic legi collata definitio illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum* (Joan. 3, 5), obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. Tunc et Paulus ubi credidit, tinctus est. Et hoc est quod Dominus in illa plaga orbationis praeceperat: *Exsurge*, dicens, *et introi Damascum, illic tibi demonstrabitur quid debeas agere* (Act. 9, 7), scilicet tingui, quod solum ei deerat. Alioquin satis didicerat atque crediderat Nazarenum esse Dominum Dei Filium.

XIV. De verbis s. Pauli 1. Cor. 1, 17.

Sed de ipso Apostolo revolvunt, quod dixerit: *Non enim me ad tinguendum Christus misit* (1 Cor. 1, 17): quasi hoc argumento baptismus adimatur. Cur enim tinxit Gaium et Crispum, et Stephanae do-

mum? quamquam etsi non eum miserat Christus ad tinguendum, tamen aliis apostolis praeceperat tinguere. Verum haec pro conditione tunc temporis ad Corinthios scripta sunt, quoniam schismata et dissensiones inter illos movebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tinguendum ait se missum, sed ad praedicandum. Nam et prius est praedicare, posterius tinguere. Si prius praedicatum, puto autem licuit et tinguere, cui licuit praedicare.

XV. De baptismi ministro.

15. Nescio si quid amplius ad controversiam baptismi ventilatur. Sane retexam quod supra omisi, ne imminentes sensus videar intercidere [1]). Unus omnino baptimus est nobis, tam ex Domini Evangelio, quam ex Apostoli literis; quoniam *unus Dominus*, et *unum baptismum* (Ephes. 4, 5), et una Ecclesia in coelis. Sed circa haereticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet: ad nos enim editum est [2]). Haeretici autem

---

[1]) *Imminentes sensus* i. e. porro dicenda.

[2]) Sensus est: Merito quaeritur, quid de baptismo haereticorum tenendum sit, cum verba Pauli dicentis *unum esse baptisma*, quibus omnis baptismi iteratio

nullum habent consortium nostrae disciplinae, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis agnoscere quod mihi est praeceptum, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem; ideoque nec baptismus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, sine dubio non habent: nec capit numerari, quod non habetur: ita nec possunt accipere, quia non habent Sed de isto plenius jam nobis in graeco digestum est [1]). Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur. quia ea iterari non oportet. Ceterum Israel judaeus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de uno lavacro definitum est. Felix aqua quae semel abluit, quae ludibrio peccatoribus non est,

---

excluditur, ad nos sint *edita* i. e. nos fideles spectent non haereticos, qui nullum nobiscum habent consortium disciplinae et ab Ecclesia sunt alieni. Tertullianum hic favere illorum errori, qui valorem baptismi ab haereticis collati negebant, vix in dubium revocari potest, cum ejus verba universalia sint, nec ad eos tantum referantur haereticos, qui materiam vel formam baptismi plane corruperint.

[1]) Hinc colligitur (sicut etiam ex l. de corona militum c. 6; de vel. virg. c. 1), Tertullianum graece quoque quaedam edidisse.

quae non assiduitate sordium infecta, rursus quos diluit inquinat.

XVI. De baptismo sanguinis.

Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus: *Habeo*, inquit, *baptismo tingui* (Luc. 12, 50), cum jam tinctus fuisset: venerat enim per aquam et sanguinem, sicut Joannes scripsit [1]), ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos, sanguine electos [2]). Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur; qui aqua lavissent, etiam sanguinem [3]) potarent. Hic est baptismus qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit.

XVII. De baptismi ministro.

Superest ad concludendam materio-

---

[1]) 1. ep. 5, 6.

[2]) Varia est hujus l. lectio. Recepimus Wouwerii emendationem probatam quoque Rigaltio, Leopoldo etc.

[3]) *Sanguinem* i. e. calicem martyrii. Contra contextum haec de sanguine in eucharistia potando intelliguntur.

lam, de observatione quoque dandi et accipiendi baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem: quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est: quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest: nisi episcopi jam, aut presbyteri, aut diaconi vocantur, discentes [1]). Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde et baptismus,

---

[1]) Locus sat obscurus. Non inepta conjectura est Junii, qui mutata interpunctione et substituta lectione *dicentes* pro *discentes* ita legit: *Alioquin etiam laicis jus est: quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. Nisi episcopi jam aut presbyteri aut diaconi vocantur dicentes: Domini sermo non debet abscondi ab ullo, proinde et baptismus aeque Dei census* (i. e. bonum, peculium), *ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis* etc. Adeo ut sensus sit: Licet laici jus habeant dandi baptismum, servandus est tamen quantum fieri potest ordo supra descriptus, nisi forte (quod absurdum) laici haberi velint, insuperhabito ordine Ecclesiae, pro episcopis, presbyteris, diaconis, dicentes omnibus licere proferre verbum Dei, ergo et baptisma, quod aeque est Dei bonum. Quibus respondeo: Laicos modestos et verecundos esse debere, proinde, nisi necessitas urgeat, reservandum esse hoc ministerium iis, ad quos ex officio, ex munere pertinet.

aeque Dei census, ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit? cum ea majoribus competat, ne sibi assumant dicatum episcopis officium episcopatus. Aemulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personae conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur [1]), cum urget circumstantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare quod libere potuit. Petulantia autem mulieris, quae usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet: nisi si quae nova bestia evenerit similis pristinae [2]); ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. Quod si quae Paulo perperam adscripta sunt, ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt; sciant in Asia presbyterum, qui eam scriptu-

---

[1]) *Constantia succurrentis.* Fiduciam significat succurrentis, qui juris sui conscius sine addubitatione aut haesitatione succurrit periclitanti; *excipitur* i. e. admittitur, accipitur, laudatur. Rigalt.

[2]) *Pristinae* i. e. Quintillae, de qua cf. c. 1.

ram construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi et tinguendi daret feminae potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit [1])? *Taceant*, inquit, *et domi maritos suos consulant* (2 Cor. 14, 34).

XVIII. Baptismus non temere conferendus est.

Ceterum baptismum non temere credendum esse, sciunt quorum officium est. Omni petenti te dato, suum habet titulum; perinde ad eleemosynam pertinentem [2]). Imo illud potius perspiciendum: *Nolite dare sanctum canibus, et porcis projicere margaritas vestras* (Matth. 7, 6); et: *Manus ne facile imposueris, ne participes aliena delicta* (1. Tim. 5, 22). Si Philippus tam facile tinxit eunuchum, recogitemus manifestam

---

[1]) *Ne constanter* i. e. ne nimis libere et praefracte sed cum verecundia.

[2]) „*Titulus*, animadvertit ad h. l. Corbin. Thomas, est alias quaedam nota ac velut inscriptio cujusvis operis, qua id laudabile et honestum efficitur. Ita ergo ut et petitio et largitio laudabilis fiat, utraque titulum habere debet, seu rationem et cau-

et exsertam dignationem[1]) Domini intercessisse. Spiritus Philippo praeceperat in eam viam pertendere; spado et ipse inventus est non otiosus, nec qui subito tingui concupisceret: sed ad templum orandi gratia profectus Scripturae divinae impressus. Sic oportebat deprendi, cui ultro Deus apostolum miserat, ad quem rursus Spiritus, ut se curriculo eunuchi adjungeret, jussit; Scriptura ipsius fidei occurrit in tempore; exhortatus assumitur, Dominus ostenditur; fides non moratur; aqua non exspectatur; apostolus perfecto negotio eripitur[2]). Sed et Paulus revera cito tinctus est. Cito enim cognoverat Simon hospes vas eum esse electionis constitutum. Dei dignatio suas praemittit praerogativas; omnis petitio

---

sam tum petendi tum dandi. Titulus autem dandi est petitio indigentis, titulus accipiendi indigentia petentis. Itaque et baptismus nonnisi petentibus nec simpliciter petentibus sed ad accipiendum debite praeparatis tum per instructionem doctrinae tum per fervorem voluntatis ardenter illum desiderantibus conferri debet."

[1]) *Exserta* i. e. clara, aperta gratia.

[2]) Omnia adjuncta specialem Dei gratiam manifestant; quod eunuchus ille ad credendum bene dispositus locum tam oportunum (Js. 53) incideret; quod Philippum ut in currum ascenderet, juberet; quod tam prompte crederet; quod aqua se ipsis offerret etc.

et decipere et decipi potest. Itaque pro cujusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est: praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est sponsores [1]) etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu [2]) malae indolis falli. Ait quidem Dominus: *Nolite illos prohibere ad me venire* (Matth. 19, 14). Veniant ergo, dum adolescunt; veniant dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant christiani cum Christum nosse potuerint: quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum [3])? cautius agetur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur? norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore

---

[1]) *Sponsores* i. e. puerorum susceptores, quos patrinos vocant. Unde antiquissimus colligitur Ecclesiae usus adhibendi patrinos in baptismo.

[2]) *Proventu* i. e. progressu.

[3]) Vocat infantes *innocentes* ad exclusionem culpae actualis, non vero originalis, quam sat clare de testim. animae c. 3. docet hisce verbis: „Homo a primordio circumventus (per diabolum), ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit.“ Patrocinatur autem hic Tertullianus illorum errori vel praxi, qui

de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio praeparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant aut continentiae corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem: fides integra secura est de salute [1])

XIX. De tempore baptismi conferendi.

Diem baptismo solemniorem Pascha praestat; cum et passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est. Nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad praeparandum: *Invenietis*, inquit, *hominem aquam bajulantem* (Marc. 14, 13). Paschae celebrandae locum

---

baptismum ad adultam usque aetatem differebant. Non propterea tamen dilatum voluit baptisma, ut peccandi tribueret veniam, sed ratione habita fragilitatis humanae et ut quod tanta obtentum fuerat praeparatione, diligentius sollicitiusque servaretur.

[1]) Occurrere hic videtur exceptioni: Quid si ob hanc dilationem catechumenus ante acceptum moriatur baptismum? Respondet: *Fides integra* i. e. is qui sincere et ex corde credidit et hac imbutus fide ad baptismum aspiravit, securus esse potest de salute.

de signo aquae ostendit. Exinde Pentecoste [1]) ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia Spiritus sancti dedicata, et spes adventus Domini subostensa, quod tunc in coelos recuperato eo, angeli ad apostolos dixerunt, sic venturum quemadmodum et in coelos conscendit, utique in Pentecoste. Sed enim Jeremias cum dicit: *Et congregabo illos ab extremis terrae in die festo* (Jer. 31, 8), Paschae diem significat et Pentecostes, qui est proprie dies festus. Ceterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.

XX. Dispositio ad baptismum necessaria.

Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis

---

[1]) Pentecostes nomine intelligit hic Tertullianus totum quinquaginta dierum spatium a Paschate usque ad ipsum solemnissimum Pentecostes diem, quo tempore Domini *resurrectio frequentata fuit* scil. quo Dominus a mortuis resuscitatus frequenter discipulis apparuit, et quo *dedicata fuit gratia Spiritus s.* i. e. quo primum Spiritus s. promissus in discipulos venit adventuque suo oeconomiam auspicatus est (abundantioris) gratiae.

orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant [1]) etiam baptismum Joannis: *Tinguebantur*, inquit, *confitentes delicta sua* (Matth. 3, 6). Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras. Simul enim et de pristinis satisfacimus conflictatione carnis et spiritus, et subsecuturis tentationibus munimenta praestruimus. *Vigilate et orate*, inquit, *ne incidatis in tentationem* (Ib. 26, 41). Et ideo, credo tentati sunt, quoniam obdormierunt; ut apprehensum Dominum destituerint, et qui cum eo perstiterit et gladio sit usus, ter etiam negaverit: nam et praecesserat dictum, neminem intentatum regna coelestia consecuturum (Luc. 22, 28 s.). Ipsum Dominum post lavacrum statim tentationes circumsteterunt, quadraginta diebus jejuniis functum. Ergo et nos, dicet aliquis, a lavacro

---

[1]) *Ut exponant* i. e. ut in se exhibeant baptismum Joannis, qui confitentes peccata sua baptizabat. Confessionem peccatorum saltem aliquam baptismo fuisse praemissam pluribus factis veterumque testimoniis ostendit Corb. Thomas ad h. l.; cujusmodi vero ea fuerit, non una est theologorum sententia. Cf. Trombelli de bapt. diss. 5. sect. 3.

potius jejunare oportet. Et quis enim prohibet, nisi necessitas gaudii et gratulatio salutis? Sed Dominus, quantum existimo, de figura Israelis exprobrationem in ipsum retorsit [1]). Namque populus mare trangressus, et in solitudine translatus per quadraginta annos, illic cum divinis copiis aleretur, nihilominus ventris et gulae meminerat, quam Dei. Deinde Dominus post aquam segregatus in deserto, quadraginta dierum jejunia emensus, ostendit *non pane vivere hominem Dei, sed Dei verbo* (Matth. 4, 4) tentationesque plenitudini et immoderantiae ventris appositas, abstinentia elidi. Igitur benedicti quos gratia Dei exspectat! cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis, et primas manus apud matrem [2]) cum fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, distributiones cha-

---

[1]) Sensus est: Licet quidem post acceptum lavacrum jejunare, excepto tamen tempore paschali, quo laetandum nobis est de parta per Christum victoria deque obtenta per illum salute; neque enim tali laetitiae congruit jejunii tristitia. Quod si Christus post acceptum lavacrum jejunavit, id fecit in exprobrationem Israelis, qui mare rubrum transgressus (qui transitus figura erat baptismi) licet divinis aleretur copiis i. e. manna etc., ventri gulaeque erat deditus.

[2]) *Matrem* i. e. Ecclesiam.

rismatum subjiciente: *Petite, et accipietis*, inquit (Matth. 7, 7). Quaesistis enim, et invenistis; pulsastis, et apertum est vobis. Tantum oro, ut cum petitis, etiam Tertulliani peccatoris memineritis.

INDEX.

Pag.

Vita Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi, a Paulino ejus notario conscripta 1

Caput I. Auctoris praefatio 1

Caput II. S. Ambrosii ortus, adolescentia, prima munera 4

Caput III. In episcopum mediolanensem non citra Dei nutum eligitur. Subterfugere conatur sed frustra. Ejus electio miraculis confirmatur 6

Caput IV. Justina augusta s. episcopum vexat a. 385, 386 11

Caput V. Corpora ss. martyrum Gervasii et Protasii invenit; qua occasione ex obsessorum corporibus daemones pelluntur. Arianorum coecitas et protervitas (a. 386) . 13

Caput VI. Ejus ad Maximum usurpatorem legatio et sacerdotalis contra eundem vigor. Daemonibus est terrori 17

Caput VII. Gratia apud Theodosium valet, quem propter civium thessalonicensium caedem sacramentorum communione privat. S. episcopi fama ad Persas usque penetrat 20

Pag.

Caput VIII. Symmacho urbis praefecto restitutionem arae Victoriae urgenti fortiter resistit. SS. martyrum reliquias invenit. Gratia apud Deum et auctoritate apud imperatorem et reginam Marcomannorum valet 23

Caput IX. Virtutes s. Episcopi. Ejus abstinentia, in rebus divinis assiduitas, divitiarum contemptus, misericordia erga alios. Charismatum gratia refulget 33

Caput X. Morbo corripitur et s. viatico refectus moritur. Exsequiae ingenti omnium concursu celebrantur. Daemones sanctitatis illius testes. Pluribus post mortem apparet . . 40

Caput XI. Deus memoriam s. Episcopi adversus detrahentes tuetur. Exhortatio ad ejus imitationem. Auctoris epilogus 46

S. Ambrosii Mediolanensis episcopi de mysteriis liber unus . . . 49

Caput I. Tractatibus, quos ante de moribus Sanctus habuerat, subjecturum se mysteriorum expositionem spondet. Deinde cur ea non prius patefecerit, declarato, mysticam aggreditur apertionem, quam a Christo ipso olim celebratam demonstrat 49

Caput II. Quid initiandi Ecclesiam ingressi promiserint, quibusve coram testibus, et quamobrem se converterint ad Orientem? . . 51

Pag.

Caput III. In aqua et sacris ministris praesentiam atque operationem divinitatis considerandam esse, pluribus figuris quibus baptisma jam inde a mundi creatione ac postea praenunciatum est, docet 53

Caput IV. Aquam non mundare sine Spiritu, Joannis testimonio et ipsis quibus idem sacramentum administratur, verbis declaratur. Quod etiam asseritur significatum per evangelicam piscinam, et paralyticum a Domino ibi sanatum: quo loco Spiritus sanctus in ejusdem Christi baptismo vere descendisse ostenditur, et quid in hoc mysterio intelligendum? 58

Caput V. Confirmatur adesse Christum in baptismate, atque adeo non considerandos ejus ministros. Demum confessio Trinitatis a baptizatis edi solita paucis expenditur 63

Caput VI. Egressis e fonte baptismatis quare unctio fiat in capite: cur etiam pedum lotio post baptismum; quaeve peccata utrisque remittantur? 65

Caput VII. Vestimentis candidis peccatorum ablutionem indicari, cujus opera ut Ecclesia se nigram atque decoram diceret, effectum est. Angelos nitorem ejus sicut et dominicae carnis miratos esse; quin imo

Pag.

ipsummet Christum sub variis figuris commendasse sponsae suae formam: quorum in se mutui affectus describuntur 69

Caput VIII. De mystico dominici altaris convivio: quod ne quispiam minoris faciat, ostenditur synagogae sacris antiquius esse, cum in sacrificio Melchisedech expressum fuerit: ipso autem manna longe praestantius, cum sit corpus Christi; ac inter utrumque perelegans comparatio instituitur . 74

Caput IX. Ne quis externa perculsus specie in fide fluctuet, plurimis exemplis, quibus mutatam aut victam fuisse naturam constat, in medium allatis, e pane veram Christi carnem fieri evincit. Postremo nonnullis quae ad effectus ejus, utentium dispositiones ac similia pertinent, figurate propositis, tractatum claudit 81

S. P. N. Cyrilli Hierosolymitani archiepiscopi catecheses mystagogicae V 95

Catechesis mystagogica I 95

1. Cur in hoc tempus dilata de mysteriis institutio? Quae in baptisterii vestibulo peracta. Abrenunciatio satanae, exstensa ad occidentem manu. Hujus rei figura, in israelitis ab aegyptiaca servitute liberatis.

Pag.

4. 5. Cur stando ad occidentem fiat abrenunciatio secunda omnibus satanae operibus. Quaenam illa sint. 6. Abrenunciatio tertia omni pompae diabolicae. Quaenam illa sit? 7. Cibi in idolorum solemnitatibus suspensi. 8. Abrenunciatio quarta omni cultui diaboli. Quinam ille sit? Confessio fidei ad orientem stando facta. 10. Conclusio in modum exhortationis 95

Catechesis mystagogica II 104

1. Quae in baptisterio peracta. 2. Primum deposita vestimenta. Cujus rei symbolum? 3. Unctio corporis totius per oleum exorcizatum. Quidnam id significet? Insufflationes sanctorum, et invocatio nominis Dei urit daemonas, et abigit. 4. Interrogatio de fide. Trina immersio. 5. In baptismo imitatio mortis, sepulturae et resurrectionis; sed salus vere, non imitatione tantum. 6., 7. Probatur baptismum Christi passionum imitationem habere. 8. Conclusio per modum exhortationis ad retinendam memoria traditam doctrinam 104

Catechesis mystagogica III 110

1, 2. Chrisma datum neophytis post suum e lavacro ascensum. Christus Spiritu sancto unctus. 3. Chrisma sacrum post invocatio-

Pag.

nem. 4. Chrismatis unctio in fronte, auribus, naribus, pectore. 5. Post acceptum baptismum et chrisma, christianorum nomine digni sumus. 6. Sancti chrismatis symbolum in veteri lege. 8. Exhortatio ad conservandam chrismatis gratiam . . . 110

Catechesis mystagogica IV 116

1—4. Per mysteria concorporei et consangues Christi efficimur. Post asseverationem Domini, nemo dubitare potest eucharistiam esse corpus et sanguinem ejus. 5. Figura mysteriorum nostrorum panes propositionis. 6. In his mysteriis sensuum testimonium audiendum non est, sed fidei. 7. Mensa Christi spiritalis et mystica, impurae daemoniorum mensae a Deo opposita. Ambo sacramenta sacri chrismatis et eucharistiae a Davide et Salomone expressa. 8. Neophytorum candidae vestes tota paschali hebdomada. 9. Exhortatio ad fidem intrepidam et conscientiae puritatem 116

Catechesis mystagogica V 123

1. Synaxes praecedentibus diebus. 2. Diaconus sacerdoti et presbyteris altare circumstantibus aquam lavandis manibus ministrat. 3. Osculum pacis, invitante diacono. 4. Admonitio sacerdotis: Sursum corda. Responsio

Pag.

populi: Habemus ad Dominum. 5. Admonitio: Gratias agamus Domino. Responsio: Dignum et justum. 6. Mentio cum gratiarum actione creaturarum omnium. Trisagium, sive hymnus seraphicus. 7. Invocatio ad consecrationem. 8. Oratio pro viventibus. 9. Mentio mortuorum. Oratio per sanctos. Sanctorum intercessio. Oratio pro defunctis. 10. Utilitas precum pro defunctis. 11—18. Oratio dominica explicatur. 19. Sacerdos clamat: Sancta sanctis. 20. Psalmista invitans ad communionem. 21. Communio corporis Christi. Quomodo sumenda. Corpus Christi oculis admoveatur. 22. Sanguinis sumptio ex calice. 23. Traditionum custodia 128

Q. Sept. Flor. Tertulliani de Baptismo 141

I. Scriptionis occasio 141

II. Simplicitas operum divinorum pluribus est incredulitatis occasio . . . 143

III. Aqua praestantia 145

IV. Omnis aqua ad baptismum idoneus . 149

V. Majori jure vim expiandi peccata christiani quam gentiles aquae tribuunt . 152

VI. Per baptismum ad majora s. Spiritus dona praeparamur 157

VII. De unctione post baptismum adhiberi solita 159

VIII. De sacramento confirmationis . . . 159

Pag.

IX. Variae baptismi figurae 162
X. De baptismo s. Joannis 166
XI. Christus per apostolos baptizabat, sed baptismo Joannis ante passionem suam 169
XII. De apostolorum salute non dubitandum etiamsi baptizati non fuissent a Christo 171
XIII. Baptismi necessitas 174
XIV. De verbis s. Pauli 1. Cor. 1, 17 . . 175
XV. De baptismi ministro 176
XVI. De baptismo sanguinis 178
XVII. De baptismi ministro 178
XVIII. Baptismus non temere conferendus est 181
XIX. De tempore baptismi conferendi . . 184
XX. Dispositio ad baptismum necessaria . 185
Annotatio I. Eucharistiae figurae 77
Annotatio II. Transsubstantiationis dogma a patribus miraculis et analogiis illustratum 85
Annotatio III. De novem angelorum ordinibus 127
Annotatio IV. Antiquorum in suscipienda s. eucharistia pietas singularis 138

A. M. D. G.